[illegible]

No. 524.

[illegible]

CHRISTIANI GVIL. THALEMANNI

S. THEOL. LIC. ET ECCLESIASTAE LIPS

TRACTATVS
DE NVBE
SVPER ARCA FOEDERIS
COMMENTO IVDAICO

ITERVM EDITVS

CVM VINDICIIS

ACCESSIT COMMENTATIO

DE AVCTORITATE

PHILONIS ET IOSEPHI

IN HISTORIA RITVVM

SACRORVM

LIPSIAE

APVD E. B. SCHWICKARDVM

MDCCLXXI.

DOCTO ET AEQVO LECTORI

S

Quod fere accidit omnibus, qui in dubium vocare audent opinionem a multis annis vel saeculis doctorum hominum calculo comprobatam serioque defensam, vt in reprehensionem incurrant eorum, qui inueteratis opinionibus pertinaciter inhaerent, bilemque adeo iis moueant: id mihi quoque non potuit non euenire, cùm anno LII. in Disputatione Academica dubitationes mouissem contra vulgarem satis sententiam doctorum, quae nubem in templi adyto super arca foederis perpetuo resedisse decernit. Non defuerunt quidem Viri Doctissimi, Praeceptores inprimis Optimi in hac Academia, et cum iis Gottingenses, qui instituto meo omnino fauerent; id quod mirifice erexit atque confirmauit animum: mox tamen extitere alii, qui eandem rem palam, nec sine magna indignatione, improbarent,

et contra disputare susciperent. Anno enim proxime subsequente mihi primum opposita est a Pl. Reu. CAROLO GVIL. WEISSIGIO, nunc apud Hirschbergenses Ecclesiaste praeclare merente, Dissertatio *de Arca Foederis ordinaria columnae nubis et ignis sede*, praeside Cel. IO. FR. STIEBRITZIO Hal. 1753. proposita ac defensa; in qua cum nihil aliud actum esset, quam vt sententia vulgaris, cum vulgaribus etiam argumentis, repeteretur, neque visum esset Cl. Auctori, attingere argumenta mea e silentio Philonis et Iosephi, et ex rei ipsius natura petita: non opus sane erat caussae meae defensione contra eiusmodi aduersarium. Quam ne forte tentarem, ab ipso diligenter cautum fuit, ad finem Dissertationis solemni veluti formula silentium mihi pro humanitate sua imponendo, vt qui caussam liquido iustam defenderit.

Alius non multo post mihi extitit aduersarius grauior IO. EVERH. RAVIVS, Theologus Herbornensis Primarius, qui primum per particulas edidit Exercitationes Academicas pro Nube Gloriosa super Arca Foederis mihi oppositas, easque deinde vno volumine ita recudendas curauit, vt meus libellus ad latus poneretur, in *Dissertationi-*

bus Sacris Antiquariis Traiecti ad Rhenum 1760. 8. A quo cum iniquiſſime habitus eſſem, in ſuperiori inprimis Exercitationum iſtarum editione, iterum cauſſam meam ſuſcepere magno cum fauore Gottingenſes, RAVII que iniuſtam acerbitatem ita reprehenderunt, vt in repetita editione Vltraiectina deleret quaedam iniquius iactata, mitioremque paullo animum oſtenderet. Summopere quidem in Praefatione eiusdem editionis recentioris laboraſſe videas Cl. RAVIVM, vt excuſaret acerbe dicta; quae cum in omni controuerſiarum genere nullam excuſationem habeant, fruſtra et hoc feciſſe recte putandus ſit. Quamuis igitur laceſſitus et prouocatus a tali aduerſario, a me tamen impetrare non potui, vt de more vulgari ſtatim ad ſcribendas Vindicias me accingerem, diſſenſumque eius non modo ſed et iniuriam aequo potius animo ferendam duxi.

Cuius quidem patientiae et ſilentii iuſtas mihi cauſſas habere videbar. Etenim cum Doctiſſimorum Virorum, quorum magna apud me eſt auctoritas, tuliſſem aſſenſum, meque ex hac parte non fruſtra laboraſſe crederem; id mihi ſatis eſſe arbitrabar ad negligendas aliorum reprehenſiones. Neque vti-

que expectaram arroganter, vt omnes in partes meas traducerentur, quod nemo in re quamuis certa sperauerit; iniquumque semper habui et stolidum eorum animum, qui male excipiant aliorum dissensum, a quibus tamen et ipsi dissentire haud dubitent. Sine arrogantia tamen hoc mihi poteram persuadere, doctos rei iudices, argumentis ab vtraque parte pensitatis, vtra momentum faciant, intellecturos esse ipsos; vt vel sic non mea opus esset defensione. Primariam autem silentii mei caussam hanc fuisse non dissimulo, quod natura mea abhorret omnino controuersias, inprimis cum aduersario violento ineundas, quas satis vsus docet, non modo inanes esse, sed etiam saepe periculosas. Quo grauius lacessitus fueris, eo facilior erit ad paria peccata lapsus, si in primo praesertim indignationis feruore ad defendendam caussam tuam accesseris: vnde feruentes eiusmodi controuersias saepissime videmus in meras abire lites et agitationes animorum, in quibus vel nunquam, vel perraro saltem, verum recte indagatur; placidum enim animum requirit veri studium: neque alius tandem totius litis euentus sequitur, quam vt turpiter se dent litigantes, risumque vel certe indignationem moueant prudentioribus.

Qui-

Quibus rationibus adductus ego nunquam Cl. RAVIO vindicias opposuissem, qui facile praeuidebam, nullo modo apud ipsum aliquid profuturas; nisi nuper noua editio expetita fuisset libelli mei, quem, ne ab aduersario ad incitas redactus viderer, sine defensione caussae meae dimittere non sustinui. Accessi igitur ad satisfaciendum Viri Docti, non conuiciis, sed dubitationibus, his vtique, quas ad rem facere periti agnoscere possent. Cuncta enim persequi et longum et molestum mihi et legentibus, et alienum a caussa, videbatur. Plurima enim cumulauit, quae non plus momenti ad victoriam haberent, quam insectandi, qua subinde effertur, acerbitas; quam ego nec tali Viro, nec caussae tenuitate, nec liberali doctrina ratus dignam, nec notare volui, nec imitari. Immo quae ad rem non pertinerent, et iniquitatem proderent, modeste potius dissimulanda existimaui, ne vel sic mortuo insultare viderer. Quid secutus sim, profitendum erat, vt in ipso libello allatis argumentis ratio visque constaret sua, neque temere me ista aut proterue effudisse defenderem: quid assecutus sim, aequi iudicabunt lectores, quos totius caussae ac certaminis arbitros atque interpretes libenter agnosco;

melio-

meliora docenti vltro gratiam habiturus, dumne conuiciis, aut alienis a re commentis, ſed e ſubtili interpretatione fideliter repetitis argumentis agatur. Nam iſta velitatio turbandae rei, quam expediendae, bonis omnibus ſemper accommodatior eſt viſa.

Subieci Commentationem commune argumentum tractantem; cuius conſilium cum in eius limine ſatis iam indicatum ſit, nihil amplius hic praemonendum duxi; quam vt ſincero haec animo in rei ſacrae emolumentum a me ſcripta eſſe ſancte confirmem, et meam qualemcunque opellam, meque adeo ipſum, docto aequoque lectori etiam atque etiam commendem.

I DE

I

DE NVBE

SVPER ARCA FOEDERIS

COMMENTO IVDAICO

Cum in interpretatione librorum ſacrorum, tradendisque ſuae gentis antiquitatibus eam ſemper rationem ingenii ſui prodidiſſent Iudaei, vt in fingendo plus iuſto ſibi indulgerent, in iis maxime rebus, ex quibus peculiare aliquod, nec affectandum aliis gentibus, decus ſibi naſci ſperarent, eamque conſuetudinem ſuam tot tantisque documentis demonſtraſſent, quae etiam minus circumſpectos aduertere, atque rem ſuſpectam facere debuiſſent: mirandum tamen eſt, quanta facilitate in amplectendis illis, quanta certe inconſtantia in probandis repudiandisque, Chriſtiani, nequaquam ceteroquin Iudaeis dediti, vſi ſint. Atque huius rei cauſas non eſt difficile indagare, ſi quis modum perpenderit, quo Chriſtiani primum ad linguae Hebraicae ſcientiam peruenerunt. Cum enim nulla alia eius diſcendae ratio pateret, nec aditus ad eam daretur, niſi per Iudaeos ipſos, quibus olim ſolis huius linguae tradendae facultas eſſet, nullisdum libellis compoſitis,

quibus per praecepta ac certa principia linguae huius ratio, vt postea factum est, traderetur: non mirum videri debet, si etiam in iis rebus, quae nullis fundamentis certis niterentur, eorum auctoritatem plerique sunt secuti, quos in toto hoc genere solos doctores habuissent. Deinde vero cum ad eam doctrinam percipiendam opus esset, et disputantes audire Iudaeorum magistros, et eorum libros crebro versare: quid mirum, si hac adsuetudine eoque commercio in eam similitudinem cogitandi ac disputandi sese conformarunt, vt, quae sibi praeceptores illi tradidissent, vel hoc nomine facilius arriperent, quod ipsorum ingenio, praeceptis eorum subacto, essent accommodata. Vnde etiam factum, vt, quo quisque maiori studio in hoc genere versaretur, quoque saepius tractandis Iudaeorum libris disputationibusque operatus esset, maioremque sibi huius doctrinae copiam collegisset, tanto facilior esset credendis iis, cum quorum magistris in tantam familiaritatem peruenisset. Neque etiam mediocris eo in negotio fuit nouitatis commendatio, cuius gratia in re cum per se magna et summopere accepta, tum rarissima adhuc, immo incognita, facile efficiebat, vt, quicquid pertinere ad notitiam eius existimarent, id cupidius, quam cautius, arriperent: debiliori etiam in re noua exami-

examinandi cura, quam recens amor et cupiditas in omnibus rebus ſolet infringere. In quo quidem tanto magis excuſari merentur, quod omnia, quae a Iudaeorum magiſtris tradita acceperunt, aut ad antiquitatum Iudaicarum cognitionem, aut ad interpretationem eiusmodi locorum ſcripturae ſacrae pertinuerunt, ex quibus vel perperam intellectis nullum caput religionis verae quicquam detrimenti caperet. Neque enim quicquam eſt ex iis, in quo probato aliquid momenti ad auctoritatem noſtrae religionis labefactandam ineſſe videatur, niſi forte id in eo numero habere velimus, in quo leuitatem IO. BVXTORFII I. F. accuſat ALBERTVS SCHVLTENSIVS V. C. *in Praefatione Commentarii ad Prouerbia Salomonis*, quod honorificum illud linguae Hebraicae nomen, quod Iudaei, et in ore eorum Chriſtiani, vulgo vſurpant, לשון הקדש tribuere illi cum Iudaeis tam facile animum induxerit; cum non animaduerteret bonus ille vir venenum, quod ſub illius nominis latebra occultaretur. Etenim hoc tribuendo nomen illud effectum voluerunt Iudaei, vt ipſum Deum in religione tradenda non alia vſum eſſe lingua, nec alia vti vnquam voluiſſe, indicarent, ceterasque adeo linguas omnes, Graecam quoque, qua libri Noui Teſtamenti perſcripti ſunt, et Aramaeam, ſiue Syriacam, qua Ser-

 uator

uator noſter vſus eſt, profanas, neque aut a Deo, aut a viris θεοπνεύστοις vſurpatas oſtenderent: quod quam infeſto animo, quamque exitioſo conſilio in libros noſtrae religionis diceretur, ſi intellexiſſent BVXTORFIVS aliique, quis credat, eos hoc nomine vti voluiſſe, quo Iudaeorum peruicaci ſuperbiae tantum tribueretur. Clara ſunt in hanc rem, ſi quis Iudaeorum mentem perſpicere velit, loca, quae extant apud SCHVLTENSIVM *l. c. p. 44.* Sed, vt diximus, tam pernicioſum conſilium nequaquam ſecutos noſtros, nimis credidiſſe tamen Iudaeis in eo cenſet SCHVLTENSIVS, quod vſurpatum ab ipſis nomen tam facile acceperunt, non ſatis conſiderantes, quo ſenſu a Iudaeis adhiberetur. Sed multo plura nimiae huius facilitatis exempla renatarum literarum cultores dederunt in illis librorum ſacrorum interpretationibus accipiendis, quae a Iudaeorum magiſtris traditae nihil in ſe quidem habebant, quod vel ſummae religioni, vel cuiquam ex eius partibus ac decretis aduerſaretur; ceterum neque cum natura linguae, neque cum contextu, aliisque locis ac rebus, congruerent. Cumque interpretationibus ſacrorum librorum ſententiae de rebus ſacris, antiquitatum quoque et rerum geſtarum traditiones nitantur: factum eſt, vt per illas cupidius acceptas, multae opiniones

de

de his rebus apud Chriſtianos inualeſcerent, quae nulla alia, niſi falſae interpretationis auctoritate ſubniterentur, et tamen a Iudaeis bona fide acceptae, ab his porro, qui eas primum accepiſſent, ad alios multos transmiſſae maiori ſane, quam par erat, modo conſtantia retinerentur, modo leuitate relinquerentur atque repudiarentur. Factum igitur eſt, vt melius conſtitutis interpretandi ſubſidiis, inſpecto ac conſulto accuratius textu, adhibitis etiam in auxilium aliorum ſcriptorum veterum, tanquam PHILONIS ac IOSEPHI ſcriptis, omninoque aucta cura ſimul ac facultate ad ſuum iudicium cuncta exigendi, multa ex iſtis traditionibus a recentioribus vt inania repudiarentur; quod minus licebat illis, quibus diſcendi pariter ac credendi maius ſtudium, iudicandi cura minor et praeſidia erant infirmiora. Sed a quibusdam tamen magiſtrorum Iudaicorum traditiones fidemque tam varie interdum aeſtimatam videas, vt nullo varietatis atque inconſtantiae metu, nunc eam illis tanquam nugaciſſimi ingenii hominibus, ac ſtudioſis partium, negent, v. c. in iſtis traditionibus de igni ſacro ac perpetuo, de vnctione ſummi Pontificis per figuram Caph Graeci, ſiue crucis Andreanae etc. nunc haud aliis magis, vt qui optime ſcire iſta atque explicare potuerint, habendam ſtatuant, vbi v. c.

 diſpu-

disputant de ingressu Pontificis in adytum, eiusque habitu ac vestibus, de agno paschali, de panibus facierum etc.

Equidem dudum in eam cogitationem pronum me esse sensi, vt, quae cum apud Iudaeos, tum apud Christianos ex ore eorum de nube illa, diuinae praesentiae super arca foederis in tabernaculo pariter ac templo indice, celebrantur, in eorum numero habenda esse putarem, in quibus amplectendis minor facilitas, et in excutiendis maior diligentia adhiberi potuisset: non quo praesentiam diuinam tabernaculo aut ipsi templo super arca foederis abiudicare auderem, quod nimis manifestis librorum sacrorum locis aduersaretur, sed vt de signo eius atque argumento, quod in nube illa vulgo ponitur, tam secure tamque confidenter, quam fit a multis, pronunciare non sustinerem. Eaque res cum non indigna diligenti disquisitione videretur: non alienum duxi, quae confirmandae huic sententiae vulgo afferuntur, modeste sub examen vocare. Graue enim est, ac fere temerarium, tantae auctoritati tot summorum virorum, qui defensores se huius sententiae praebuerunt, non illico cedere. Hoc autem quo rectius facerem, statui hac commentatione, dubitationibus atque argumentis diligenter pensitatis, vtra momentum facerent,

rent,

rent, non tam meo iudicio definire, quam eruditorum sententiae diiudicandum permittere, quorum fauori me atque hanc qualemcunque commentationem etiam atque etiam commendo. In ea autem re examinanda secuturi sumus eam rationem, quam nobis summi literarum sacrarum interpretes et antiquitatis auctores praeiuerunt, vt primo quidem scripturae sacrae loca excutiamus, quae aut ex illis traditionibus lucem capere videantur, vel iis amplectendis caussam materiamque praebuisse: tum deinde scriptores antiquos consulamus, quorum si non maior, certe par cum Iudaeorum magistris auctoritas esse debeat, vt constet, quid illi, et num omnino quicquam de his rebus eo loco dixerint, vbi commode et sine iusta reprehensione illas praeterire non possent, aut certe commemorandi opportunam occasionem haberent: ad extremum vero ipsius quoque rei naturam expendamus, omninoque adeo, num necesse sit, aptumque satis, eiusmodi traditionem amplecti, dispiciamus. Quodsi igitur loca primo illa librorum sacrorum, quae probandae huic sententiae afferuntur, aut ex ea illustrari putantur, nullam aut leuem vim ad probandum habere videbuntur; si deinde nec veterum scriptorum, qui de illa re dicendi et facultatem et occasionem, et caussam quoque habuerunt,

 aucto-

auctoritas satis ei fauebit; ac denique in ipsa rei natura nihil erit, quod necessitate quadam hanc sententiam commendet: non credimus, quemquam fore, qui nobis vitio vertat, si in re argumentis idoneis ad fidemque necessariis destituta, veritati potius, quam auctoritati receptaeque opinioni, credendum duxerimus. In eo quoque aequos iudices speramus nos habituros, vt eam rem, de qua nobis dubitandum sumsimus, ad aliquod caput sacrae doctrinae pertinere nequaquam existiment, sed ad traditionem aliquam interpretationemque locorum referant, quae quomodo accipiantur, ad doctrinae quidem summam perinde sit. Cum enim nihil nisi modum aliquem contineat, quo Deus suam apud Iudaeos praesentiam indicare voluerit: nihil decessurum videtur religioni, aut vlli eius capiti, si nihil, quod hunc modum cogat statuere, aut scriptura sacra, aut veterum testimonia, aut ipsius denique rei natura suppeditet.

§. I.

Itaque, vti proposuimus, id primo agemus, vt de locis librorum sacrorum quaeramus, quae partim huic traditioni confirmandae afferuntur, partim ex ea, quasi iam probata, explicantur atque illustrantur. Cum Deo placuisset ex Aegypto eductum populum

pulum suum per longa deserti spatia atque ambages in Cananaeorum sedibus collocare, hoc etiam benignitatis suae et peculiaris in hunc populum curae documentum edere voluit, vt, cuius viae auctor fuisset, eiusdem sese ducem praeberet, eiusque beneficii sui signum, atque, vt sic dicam, instrumentum voluit esse nubem, seu globum interdiu vmbrosum, noctu autem igneum fulgentemque, vt ab omnibus conspiceretur Exod. XIII, 21. Quo autem certius documentum praesentiae diuinae illa nubes haberet, non praeiuisse modo populum, sed etiam interdum demisisse se ita dicitur, vt ex ea, quasi ex sede sua, Deus cum Mose loquens responsa daret ad populum ferenda; quale exemplum primum legitur Exod. XXXIII, 9. quo quidem ex loco apparet, Deum, cum ita se demitteret, nubem illam statuisse ad ostium minoris tabernaculi et quasi temporarii, quod ad maioris illius et longius duraturi exstructionem, vsque sacris vsibus inseruiret. Postea vero in maiori illo tabernaculo, quod ad praescriptam a Deo formam exstruxerat Moses, non alium locum nisi tectum summum occupasse illa nubes inuenitur, vnde sublata mouere castra, reposita autem collocare ac figere iuberet Exod. XL, 34. etc. quod quidem primo factum legitur in ipsa consecratione huius tabernaculi,

culi, vt hac ipſa re id domicilium ſedemque praeſentem ſtatuiſſe ſibi in eo tabernaculo Deus oſtenderetur, qui etiam tam honorifico nomine locum illum dignatus, habitaturum ſe dicit inter Cherubinos ſuper arca conſtitutos, et ex eo loco reſponſa populo daturum Exod. XXV, 22. Ex his vero neutiquam conſequitur, nubem illam, quam ſupra tentorium conſediſſe facile concedimus, etiam intra ipſum tabernaculum demiſſam locum eum inter Cherubinos occupaſſe, quem Deus ſuae praeſentiae ſedem futuram ſignificauerat, vt nempe externum eius ſignum et adſpectabile nubes illa foret. Nam etſi, vt diximus, demiſſa illa ſuper tabernaculum nubes dedicaſſe illud legitur, et gloria Domini impleſſe totum tentorium, vt etiam aditu Moſes prohiberetur Exod. XL, 34. 35. non tamen eo loco, aut his verbis exponitur, quid demiſſa illa nube factum ſit, nec demiſſionis illius cauſam hanc fuiſſe, vt gloria diuina tabernaculum repleret, ſed hoc tantum, quid deinde, vel ſimul, factum ſit. Neque vero gloria illa Dei, quae hic commemoratur, aliud quicquam fuit, quam nebula, vel etiam ſplendor aliquis eximius, quo Deus ſuae maieſtatis praeſentiam in ipſo quoque tabernaculo declarari vellet, qualis etiam apparuiſſe narratur in dedicando tem-

plo

plo Salomoneo 1 Reg. VIII, 11. vbi diserte talis nebula commemoratur, quae visum inter sese et sacrificandi facultatem sacerdotibus ademerit, de quo paullo inferius; eodemque modo Iesaias, cum vidisset domum, seu templum, densissima nube oppletum, vidisse dicitur gloriam Dei Ies. VI, 4. Diuersam itaque esse hanc praesentiae diuinae indicem, nubem seu nebulam; quae in ipso tabernaculo fuit, ab illa nube, quae supra tectum eius consederit, vel inde apparet, quod haec tantum demisisse se supra tectum, illa vero totam domum dicitur complesse; quod neutiquam in illam nubem conuenit, ac ne ab auctoribus quidem huius sententiae ipsis defenditur. Cumque haec gloria Dei non semper fuerit in toto tabernaculo, sed eo tantum tempore, quo illud dedicaretur atque consecraretur: in eam necessitatem adiguntur, qui sic sentiunt, vt eam, relicto sanctuario reliquisque partibus tabernaculi, concessisse dicant in sanctum sanctorum, et se quasi contraxisse, vt perpetuam ibi sedem haberet; quod nemo nec vidisse, neque affirmare adeo potest, cum haud alio tempore conspecta illa sit, quam quo tabernaculi dedicationem diuinae praesentiae signo cohonestaret, ac venerabilem redderet. Id tamen sic visum est expedire quibusdam, vt dicerent, nubem istam

tecto

tecto tabernaculi insidentem penetrasse tectum et in adytum descendisse, vt simul supra tentorio ab omnibus conspiceretur, et intra adytum arcam cum Cherubinis obumbraret, vtque, vbi leuata nubes itineris signum populo dedisset, illa quoque pars, quae adytum replebat, vna tolleretur, quasi eminentem illam partem secuta, hac autem reposita, et ipsa locum in adyto suum rursus occuparet: quae fingendi leuitas nullo modo conuenit interpretis sacri grauitati. Sic tamen IO. LVNDIVS *Sacror. Iudaic. L. I. c. 12.* vt alios taceam. Sane egregie sic omnia constarent iis quidem, qui necesse sibi putant tale quid assumere, modo in literarum sacrarum documentis potius, quam in interpretum ingeniis nata haec essent. Nec tamen hi ipsi testimonia sibi deesse putant, quorum haec vt praecipua affert LVNDIVS, quod Deus promiserit Leu. XVI, 2. *se velle apparere in nube super propitiatorio*, et Exod. XXV, 22. *se habitaturum inter Cherubinos et cum Mose locuturum ex eo loco;* vnde haud dubium esse, quin Deus eo tempore, quo dedicaret tabernaculum magnifico suae praesentiae indicio, hanc suam sedem occuparit per eandem nubem, quae etiam super tentorio conspiceretur. Sic autem explicantibus illa loca erat necessarium eo deuenire, vt statuerent, nubem non

in

in tectum modo tentorii missam, verum etiam per tectum alioue quo modo venisse in sanctum sanctorum, ibique inter Cherubinos perpetuam sedem tenuisse. Quodsi autem vere promisit Deus priori loco, se habitaturum inter Cherubinos die expiationis, atque adeo consequens est, nubem perpetuo ibi fuisse; sique non minus ex eo, quod habitauit illo in loco Deus, (quod nullo modo negatum imus) illud quoque necessario consequitur, vt id non factum esse dicamus, nisi per externum aliquod signum, idque nubis eiusmodi: tum vero haec argumenta haud dubie pro arce ac fundamento sententiae totius valebunt, omneque illius robur constituent.

§. II.

Sed age videamus, an ista loca recipiant illam interpretationem, eamque vim habeant, quae iis vulgo tribuitur. Leu. XVI. 2. dicit Deus ad Mosen: דבר אל אהרן אחיך ואל יבא בכל עת אל הקדש מבית לפרכת אל פני הכפרת אשר על הארן ולא ימות כי בענן אראה על הכפרת Vltima verba vulgo sic vertuntur: *etenim in nube apparebo super propitiatorio:* quae si vera interpretatio est, vicere quidem, qui nubem statuunt die expiationis Pontifici visam fuisse super propitiatorio, non autem,

qui

qui et alio tempore perpetuo ibi sedisse contendunt. Sed ne illius quidem sententiae praesidium ex hoc loco peti posse nobis videtur. Iam vt ab ipso verbo אראה initium faciamus, non est necesse id sic capere, vt nullum alium sensum admittat, nisi hunc: *apparebo*, *conspiciendum me praebebo*. Nam etiam hanc explicationem forma illa passiua recipit, vt sit, *in conspectum meum veniet*, *aditum ad me dabo*. Quod si est, vt esse per ipsam vim verbi passiui potest, quidni iam sic interpretemur: *nam* (siue potius *sed*, in oppositione contrarii, de quo deinde) *videbor*, *videbit me*, *in conspectum meum veniet*, cui licet, Pontifex scilicet die expiationis, *in nube veniet*, inquam, *coram me*, *seu per nubem*, *seu cum nube* (quis enim ignorat, ב significare etiam *per* et *cum*) *quam ipse fecerit super propitiatorio*, *vel prope illud*, vtrumque enim significat על: quae nubes qualis esse debeat, deinde videbimus. Ceterum huic loco simillimus alius Exod. XXIII, 15. vbi dicit Deus: לא יראו פני ריקם quod sane nihil aliud est, ac si dixisset, לא אראה ריקם *nemo in conspectum meum veniat*, *nemo adeat me inani manu*, *sine donis*, vt optime expressit LVTHERVS in versione. Qui ad Deum accedebat sacrificaturus quodnam is videbat praesentiae diuinae symbolum, aut num nubem illam, si

quae

quae fuit in ſancto ſanctorum, potuit videre? et tamen dicit Deus יראו פני quod nihil aliud eſt, quam *venient in conſpectum meum.* Atque haec interpretatio tribuenda eſt omnibus ſacrorum librorum locis, vbi Deus, ſeu, quod idem eſt, Dei facies in tabernaculo et templo dicitur videri, conſpiciendaue praeberi, v. g. in eodem capite v. 17. Exod. XXXIV, 24. Eſ. I, 12. aliisque locis innumeris. Praeſentiam diuinae maieſtatis e tabernaculo et templo neutiquam tollimus, viſibile eius ſignum, et nominatim eiusmodi nubem ibi fuiſſe, nondum perſuadent explicata hoc modo loca, quae maxime, vel ſola potius, perſuadere debebant. Qui vocem פנים vrgent, hebraiſmum aut ignorant, aut non reputant, notiorem ac tritum magis, quam vt hic adſtrui debeat, quo facies alicuius pro ipſo ponitur, vti et in Nouo Teſtamento τὸ πρόσωπον, vt ſaepe facies terrae, pro ipſa terra, et ſic centies. Sed, vt ad coepta redeamus, cum ipſis verbis hic, quem diximus, ſenſus commodiſſime tribui poſſit: iam contextum inſpiciamus, vt per hunc quoque, non alium illis verbis tribuendum eſſe ſenſum, appareat. Fuerunt quidem viri docti, ne quid diſſimulemus, et ſunt hodieque haud dubie, ex iis maxime, qui phraſes hebraicas e latino aut germanico ſermone interpre-

tantur; quibus haec interpretatio contortior et nimis quaesita videretur, quod vel sic facile fit, cum alia iam occupatus animus tenetur; sed hic metus statim, vt speramus, euanescet, si contextum verborum recte expenderimus. Loquitur Deus ad Mosen initio huius capitis, mortuis Aaronis filiis בקרבתם לפני יהוה (tamen et ipsi nullam nubem viderant) eumque iubet hoc denunciare Aaroni, ne quouis tempore adytum intraret, sanctissimum illum locum, quam sedem suam fore ante iam Mosi dixerat Exod. XXV, 8. 22 in quo essent recondita mysteria, arca cum Cherubinis, nemini adspicienda, ne similem poenam mortis subiret; qua de causa etiam addit, ne ipse veniat אל פני הכפרת quam partem arcae, vt primariam Dei sedem, pro tota ponit. Iam sequuntur illa verba, quibus rationem reddi praecedentium volunt sententiae, in quam inquirimus, auctores, כי *quoniam*, vti vertunt, *conspiciar in nube*. Sed illud כי propius Hebraismum est, vt, praecedente negatione, significet *verum*, *sed:* veluti Gen. XVIII, 15. XXIV, 4. Exod. XVI, 8. etc. quod et Rabbinorum subtilissimi obseruare suis locis non neglexerunt. Sit itaque sensus: non veniat Aaron ad me sic negligenter, non ita temere coram me compareat; moriatur enim, si hoc auderet:

verum

verum conſpiciar in nube, veniat ad me in nube, ſeu per nubem, ſeu cum nube ſc. fumi ex ſuffitu, quae tegat propitiatorium, totamque adeo arcam: quod fiat ſemel quotannis, die ſcilicet expiationis. Atque hic adytum ingrediendi modus et haec cautio in ſequentibus accuratius deſcribitur v. 12. 13. ולקח מלא המחתה גחלי אש מעל המזבח מלפני יהוה ומלא חפניו קטרת סמים דקה והביא מבית לפרכת ונתן את הקטרת על האש לפני יהוה וכסה ענן הקטרת את הכפרת אשר על העדות ולא ימות *itaque ſumat plenum thuribulum prunis ardentibus ex altari, et plenos pugillos ſuos ſuffitu aromatum attenuato, et inferat illa intra velum: et imponat ſuffitum illum igni coram Deo*, VT TEGAT NVBES ILLA SVFFITVS OPERCVLVM, QVOD SVPER TESTIMONIO EST, NE MORIATVR. Quis non videt, hanc eſſe verborum ſuperiorum clariorem interpretationem? Fumus ille ex ſuffitu appellatur *nubes*, haec nubes tegat *propitiatorium*, et hanc faciat Pontifex, *ne moriatur*, quod idem eſt v. 2. Cuius etiam iuſſi ratio egregie conſtat. Si enim iam fuiſſet nubes in propitiatorio, quae diuinae maieſtatis praeſentiam occultaret, cur iubeat Deus aliam excitare ſuffitu, quae hanc ipſam nubem ita rurſus occultaret, vt nec a Pontifice poſſet con-

 ſpici?

ſpici? Si iam tecta fuerant iſta arcana nube illa diuina, et iam ſic nullius conſpectui patebant, quorſum alia nubes, quae hanc ipſam velaret atque abſconderet? Hoc enim erat conſilium Dei, vt Pontifex iſta nube ſuffitus rebus ſacris induceret caliginem, ne expoſita oculis mortis periculum ei crearent. Erat enim haec ſedes praeſentiae Dei, quod nullo modo negamus; quam etſi externo ſigno declaratam non daret, neceſſaria tamen nihilominus erat reuerentia; quae etiam conſeruata fuit in templo ſecundo, quanquam aberat tum arca, atque adeo nubes, ſi quae vnquam adfuit; adytumque a Deo, vt ſine arca, ita etiam ſine illa nube, putabatur inhabitari.

§. III.

Sed ne cui noua prorſus atque inaudita haec interpretatio viſa, hoc ipſo nomine, quod ſaepe fieri, maxime in hoc genere rerum, videmus, reiiciatur, ſi non et inuidiam pariat: age quaeramus illi auctoritates, quibus etiam nouitatis reprehenſionem amoliamur. Quas quidem, cum eo conſilio volueremus illuſtriorum interpretum libros, non ſane tam raras inuenire contigit, inter ipſos adeo, quod maxime mirati ſumus, Iudaeorum magiſtros, quorum

qui

qui plus aliis ſapiunt, maiorisque ſunt in ſcriptura ſacra interpretanda auctoritatis, ita proferunt hanc interpretationem, vt eam et naturae ſermonis Hebraei aptam, et contextui vnice conſentaneam eſſe dicant; aliis duplicem, vt ſolent, huic loco ſenſum tribuentibus, aliis noſtram interpretationem cum illius refutatione ſolam amplectentibus. In iis deprehendimus eſſe R. SALOMONEM IARCHIVM ad hunc locum, qui ſic habet: כי בענן אראה' כי תמיד אני נראה שם עם עמוד ענני ולפי שגלוי שכינתי שם יזהר שלא ירגיל לבא זהו פשוטו ומדרש לא יבא כי אם בענן הקטרת ביום הכפורים *etenim in nube videbor*, h. e. *quoniam ſemper videbor ibi cum columna nubis meae, et quandoquidem ibi Schechina ſeu praeſentia mea declaratur, monet, ne crebrius accedat. Hic ſenſus eſt ſimplex ſeu literalis; reconditus vero hic eſt: ne accedat, niſi cum nube ſuffitus die expiationis.* Non negat IARCHIVS his verbis illum ſenſum, quem nos iis ſubiecimus, ineſſe, ita tamen, vt alterum, qui faueret communi opinioni, ſimul amplectatur; quae literas ſacras interpretandi ratio valde eſt frequens Rabbinis. Duplicem pari modo loci iſtius ſenſum indicat etiam KIMCHIVS ad II. Paralip. VI, 1. ABEN ESRA ad h. l. ad verba כי בענן ſic ſcribit: הטעם שלא יכנס כי אם בקטרת' שיעשה ענן ולא

 יראה

יראה הכבוד פן ימית׳ והנה טעמו לא אהיה נראה אליו כי אם בענן ויש אומרים כי פי׳ כי בענן בעבור כי אני דר בענן על הכפרת כטעם יי׳ אמ׳ לשכון בערפל *sensus est, ne accedat nisi cum suffitu, vt fiat nubes, nec conspiciatur gloria, ne moriatur. Et ecce! sensus hic est: non ero videndus nisi per nubem, seu cum nube. Et sunt, qui dicant, sensum esse hunc: in nube, propterea quod ego habito in nube super propitiatorio, secundum illud: dixit Dominus, se habitare in caligine.* Nostram interpretationem solam amplecti videtur ABEN ESRA, quoniam illam praeponit tanquam suam, et sensum sibi probatum, alteram vero affert vt ab aliis prolatam, nec vllo argumento adstruit, aut sibi probari ostendit. Et commode sane verba ista כי בענן אראה sic interpretatur לא אהיה נראה כי אם בענן *non ero videndus, nisi per nubem* sc. suffitus. Alia interpretandi ratio est apud ABARBANELEM ad h. l. cum quo etiam facit R. ABENDANA ad h. l. in R. BEN MELECH *Michlal Iophi*, qui particulam כי hoc loco pro רק positam esse putant, vt aliis in locis, quae afferunt v. c. Gen. XVIII, 15. XIX, 2. XL, 12. et sensum dicunt esse hunc: רק בענן הקטרת אחת בשנה אהיה נראה אליו על הכפרת *tantum, seu non nisi, per nubem suffitus semel per annum videbor ab eo* (Pontifice scilicet) *super oper-*

operculo arcae. Atqui hi solam hanc interpretationem amplectuntur, et quod mireris, ABARBANEL alteram reiicit, et IARCHIVM refutat, quod a Iudaeo non expectaueris. Audiamus eum ad ista verba כי בענן ita differentem: ופרש״ י׳ לפי שגלוי שכינתי
שם׳ יזהר שלא יבא שם בכל עת׳ אבל הכתוב לא
הזכיר שתהיה השכינה בענן׳ גם שבהיותו בענן
אנו מונע שיכנס שם ׳ אבל בהפך של היותו
מכוסה בענן׳ יתן מקום להכנס שם׳ והראיה׳
וכסה ענן הקטרת את הכפרת ולא ימות *Iarchius explicat, quoniam ibi conspicitur Schechina mea, monet, ne quouis tempore eo veniat. Sed enim textus non dicit, Schechinam esse in nube, et si etiam esset in nube, non esset prohibitus, quo minus eo accederet, sed contra potius, quoniam esset tecta nube, daret illi locum eo accedendi. Et hoc est probabile ac verum ex eo: et tegat nubes suffitus propitiatorium, ne moriatur* sc. Pontifex. Quid simplicius pro nostra sententia? quid apertius? Mirum profecto, haec a Iudaeo contra gentis suae quasi publica placita potuisse proferri Sed ille est vir, quem nostri fere omnes fatentur, si non plane errores suae gentis reliquerit, multum tamen et acumine ceteros vicisse, et moderatione. Sed nos his commemorandis nihil aliud efficere volumus, quam vt appareat, hanc inter-

pretationem nec nouam esse, nec ipsis adeo contrariae sententiae defensoribus incognitam atque improbatam, cui adstruendae alia atque firmiora argumenta deinde afferemus.

§. IV.

E Christianis interpretibus paucos sane vidimus, qui hanc interpretationem amplecterentur: cuius rei causa forte haec est, quod sacrorum librorum versiones in quaque ecclesia receptae, atque etiam versio nostra vernacula a Luthero nostro profecta interpretationi illi vulgari fauent, nimisque pauci fuerunt, qui totam istam de nube super arca opinionem accuratius excuterent. Itaque vt de loco, e quo ista opinio maxime confirmari videbatur, parum fuere solliciti, neque eum curiosius inspicere atque indagare instituerunt. Affulsit tamen, quasi lux in tenebris, auctoritas magni C. VITRINGAE, inter principes haud dubie interpretum numerandi, qui *L. I. Obs. Sacr. Dissert. II. c. 4. §. 6. 7.* et totam vulgarem opinionem refutauit, et hunc inprimis locum, quem primarium in hac causa esse fatetur, eo, quem attulimus, modo explicauit, omissis reliquis omnibus, e quibus haec traditio solet confirmari atque illustrari: illo enim loco aliter

expli-

explicato, cetera illa, tanquam fundamentis subtractis, labant ac corruunt. *Loca*, inquit, *a Buxtorfio aliisque prolata de commoratione huius nubis apud tabernaculum, et quandoque in priori parte tabernaculi, nulla vero* (ἐξὸν ἐιπεῖν μετὰ παῤῥησίας) *de habitatione huius columnae apud vel supra arcam intelligenda sunt.* Et huius tanti viri rationem atque auctoritatem in hoc loco explicando secuti maxime, non putauimus mediocrem inde causae nostrae defensionem accessuram. * Praeter hunc vidi etiam Seringhamium

* Cum primum in hunc locum VITRINGAE incideremus, vtebamur editione *Obs. Sacr. Franequerana anni* 1689. Sed cum postea euoluissemus editionem recentiorem *Franeq.* 1712. sperantes, hanc dissertationem ab auctore auctam esse, vidimus hanc subiectam notam: *Quae hic in prioribus huius libri editionibus collocaueram, nolui delere, quia nostra haec dissertatio viris quibusdam literatis et veri studiosis non displicuit. Nec tamen sententiam, quam hic defendo, haberi velim pro certa. Immo non negabo, me, si non secundis, saltem tertiis curis, pedem coepisse retrahere, et ad gregem Doctorum, quem antea deserueram, retrospexisse. Tu tamen, lector, tuum indicium tibi hic habe integrum, et rem absque vlla* ἐγκλίσει *anticipata expende.* Haec cum legissem, non potui non valde mirari, quid tandem VITRINGAM mouerit, vt relinqueret sententiam, quam antea tam serio tamque subtiliter

mium commemoratum a VITRINGA, hunc locum ſic explicare ad *Codicem Ioma p. 52.* vbi quidem monet, non infrequens eſſe, vt fumus vocetur nubes, etiam apud Latinos, quod confirmat exemplis. Sed hoc, puto, non eſt neceſſe, cum hic ipſe fumus in adyto excitatus a Pontifice diſerte nubes dicatur v. 13. eiusdem capitis, vt iam ſupra monuimus. VITRINGAM ſecutos etiam eſſe vidi *Interpretes Anglicanos* ad h. l. nouiſſime apud nos lingua vernacula editos, qui quidem iisdem fere argumentis, quibus ille vtitur, negant hunc locum poſſe aut debere adeo explicari de nube gloriae diuinae ſuper arca, ſed de nube potius excitanda e fumo ſuffitus v. 13. Sed quemadmodum Rabbini, ſi ABARBANELEM exceperis, hunc locum de iſto fumo explicantes nihilominus nubem gloriae diuinae in arca conſediſſe ſtatuunt: ſic etiam Interpretes Anglicani, quamuis negent, nubem ibi fuiſſe, tamen gloriam Dei, h. e. ſplendorem, diuinae praeſentiae ſignum, inter Cherubinos dicunt effulſiſſe. Nubem, dicunt, in

tiliter propugnaſſet. Neque, ſi quid videmus, aliud quicquam in cauſa fuit, quam inuidia ſuorum, quam ea diſputatione mouerat, cui cedere conſultius ei viſum ex ipſius verbis apparere nobis videtur potius, quam veris victum ſeſe intellexiſſe.

in conſecrando tabernaculo reſediſſe ſupra tectum, dum interea gloria Dei adytum maximo ſplendore compleret. Sed iam ſupra diximus, gloriam Dei in conſecrando tabernaculo illud totum compleſſe; ſolum vero adytum occupaſſe, ita vt nunquam ab eo diſcederet, non dicitur. Deinde vero magis eſt probabile, vti diximus, gloriam illam Dei fuiſſe nebulam aliquam, non ſolum ſplendorem, et ſi vel maxime fuerit, reliquiſſe tamen videtur, vt vniuerſum tabernaculum, ita et adytum.

§. V.

Quod diutius immorati ſumus iſti loco, in eo hoc magis ignoſcent nobis Lectores, quo magis vulgaris eius interpretatio, traditionem iſtam confirmare videbatur, quoque plures vidimus in ea ſententia probanda hoc vno loco afferendo acquieſſe. Quoniam igitur iſta ſententia nihil praeſidii nobis videtur ex illo loco accipere, videamus, an forte reliqua, quae ei defendendae vulgo afferuntur, maiorem vim habeant. Neque vero obſcure indicant multi, alterum illum locum, Exod. XXV, 22. de quo iam ſupra diximus, ſententiam de nube ſuper arca valde confirmare ſibi videri. Vbi cum Deus dicat Moſi, ſe in operculo arcae praeſentem fore,

ibique

ibique cum eo collocuturum, colligunt inde, Deum per externum quoddam ſymbolum praeſentiam ſuam ibi declaraſſe, nec niſi per nubem cum Moſe locutum. Quod quomodo ex hoc efficiatur, non magis video, quam quomodo Iudaei ex Exod. XXIX, 45. vbi Deus dicit שכנתי בתוך בני ישראל eandem nubis praeſentiam ſuper arca poſſint adſtruere, cum ita hunc locum interpretentur, quaſi Deus dicat: collocabo Schechinam meam (per quam h. l. nubem intelligunt) in medio Iſraelitarum, quae ſcilicet perpetuo ſuper arca reſideat. Nihil enim aliud vtroque loco Deus pollicetur, quam ſe fore praeſentiſſimum populo Iſraelitico, ita vt etiam habitare inter eos videatur, ſibique locum elegiſſe ſuper arca inter Cherubinos, quibus tanquam throno inſidens Moſi velit reſponſa dare. Hanc vero ſuam praeſentiam in iſto loco declaraturum eſſe per nubem, nec niſi per eam cum Moſe locuturum, id nec vſpiam dicitur, neque iis in locis, in quibus commemoratur Deus cum Moſe locutus eſſe in tabernaculo, vnquam nubis ſit mentio. Non enim, ſi Deus ille inuiſibilis praeſentia ſua locum aliquem dignatus eſt, idcirco ſtatim eius praeſentiae ſignum viſibile ſtatuiſſe intelligendus eſt; nec illa nubes vtique ſignum illud fuiſſe coniici poteſt niſi ab iis, qui

ex

ex principe illo loco, de quo iam transegimus, id confici statuentes, explicationem illam sententiamque in mente habent, quae non magis ex aliis locis, vbi collocutus cum Mose Deus narratur, quam ex hoc primo, elici posse videtur. Leu. I, 1. dicitur Deus vocasse Mosen e tabernaculo, eique decreta dedisse; et Num. VII, 89. Moses, quotiescunque Deum vellet consulere, dicitur vocem audisse a propitiatorio. Nihil hic de nube. Neque vero aliquis putet, Deum, vbi voluerit cum Mose alioue quo loqui, semper vsum esse externo praesentiae suae symbolo, quod nec factum semper esse, neque adeo necessarium fuisse, vel ipsae sacrae literae docent. Quid enim? Quam saepe Deus cum Mose locutus est, ante quam exstrueretur tabernaculum, sine vllo externo signo? quod interdum quidem accessisse non negamus, tanquam cum per rubum ardentem se illi praeberet conspiciendum: in monte vero Sina per signum tale Deum cum Mose semper esse locutum, inde refellitur, quod, cum Deus iam illi responsa ibi dedisset, tandem promisit, se venturum in montem בעב הענן Exod. XIX, 9. Nil ergo nisi vocem Dei antea audiuerat, nihil viderat. Quid igitur impedit, quominus etiam in adyto sic Mosen statuamus vocem tantum audisse, nihil vidisse;

diſſe; Deo nihilominus praeſente, loquente autem per בת קול quam Rabbini vocant, ita nempe, vt claram diſtinctamque vocem Dei audiret. Certe nihil vltra colligere licet ex Leu. I, 1. et Num. VII, 89. quod iam diximus, vbi diſerte dicitur Moſes vocem audiſſe ex operculo arcae, nihil amplius. Etenim ne illud quidem probabile ſatis videtur, nondum ſaltem eſt demonſtratum, Moſen, vbi vellet Deum conſulere, ſemper intraſſe adytum, locum illum, cuius tanta eſſet ſanctitas, vt eum ipſe Pontifex ſummus ſine mortis periculo non auderet ingredi, niſi ſemel per annum, ac ne tum quidem aliter, niſi caligine rebus ſacris per ſuffitum circumdata, omnibusque ſumma cum cura ad praeſcriptam diuinitus normam peractis. Nam etſi nequit negari, Moſi, interpreti et miniſtro Dei primario, quocum Deus familiariſſime et amiciſſime loqueretur, cui adeo ampliſſimam ſui notitiam conceſſiſſet, (Exod. XXXIII, 11. *) plus licitum fuiſſe, quam aliis, ipſi-

*) Ita enim verba Hebraea intelligenda, non ſtatim de externo praeſentiae diuinae ſymbolo, דבר יהוה אל משה פנים אל פנים quod vulgo vertitur: *locutus eſt Deus cum Moſe facie ad faciem*, nullo ſenſu. Vario quidem ſenſu hoc dicitur de Deo, ſed ita, vt e contextu facile poſſit diſcerni. Hoc quidem in loco eſſe, quem dixi, verborum ſenſum,

ipſique adeo Pontifici: non videtur tamen, ob ſummam loci religionem ac caerimoniam, niſi iuſſu diuino adytum intraſſe; idque non niſi ſemel factum legimus Num. XVII, 19. vbi Deus iubet eum ingredi adytum, et inferre virgas, at cum iuſſa Dei acciperet Moſes, tum vero in adyto non ſtetiſſe, ex ipſis verbis et contexto apparet. Neque vllo in loco dicitur Moſes adytum intraſſe eo conſilio, vt cum Deo loqueretur, ſed ſimpliciter tabernaculum: vt adeo ſtetiſſe potius videatur in ſancto, et audiſſe vocem ex adyto. Hoc apparet, niſi fallimur, ex Num. XVII, 8. vbi dicuntur Moſes et Aaron, rebellantibus Iſraelitis, intraſſe tabernaculum, et cum Deus ad Moſen dixiſſet, ſe perditurum eſſe

totum

ſum, intelligitur ex ſequentibus, vbi additur: *quemadmodum loquitur homo cum amico ſuo.* vid. *Fagius* et *Vatablus* ad h. l. Vel cum h. l. verbum loquendi poſitum ſit, פנים de ore, vt parte faciei, intelligi poſſunt, vt ſit idem, quod alio loco de Moſe dicitur Num. XII, 8. et alias ſolemniter Hebraei dicunt, פה אל פה *ore ad os*, i. e. *coram.* Quod egregie confirmat verſio Chaldaica, quae פנים אל פנים vertit ממלל עם ממלל *verbum cum verbo* h. e. *coram.* Quod 1 Cor. XIII, 12. dicitur, nos eſſe viſuros in altera vita Deum πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, explicat Ioannes I. Ep. III, 2. *ſicuti eſt.* Tum pleniſſime eum cognoſcemus, quoad ſcilicet poterunt homines.

totum populum, tum ambo procubuisse humi. Ambo igitur hanc vocem videntur audisse, quod haud dubie factum est in sancto. Quae si vera est ratio, illud quoque efficitur, vt videre Moses non potuerit nubem, si vel maxime aliqua esset in adyto super arca. Quod si ingressus vtique semper est adytum, nubem tamen ei visam, demonstrari rursus nequit.

§. VI.

Quod hactenus studuimus demonstrare, Deum super arca praesentem quidem, sed non per externum symbolum fuisse conspicuum Mosi, neque per nubem illi in adyto responsa dedisse, id maxime confirmari putamus ex eo, quod e sacris libris constet, illam nubem, ducem Israelitarum, quae in tecto tabernaculi conspiceretur, interdum e tecto demissam constitisse in foribus tabernaculi, ibidemque Deum per hanc nubem cum Mose, Aarone et Iosua esse locutum, quod se facturum indicauerat Exod. XXIX, 42. 43. quodque factum esse legimus sic, vbi Deus rebellantes Israelitas compescere, omninoque suam maiestatem toti populo quasi praesentiorem ostendere, atque adeo de re graui cum Mose vellet loqui. Ipsum vero tentorium eiusque adytum ingressa nuspiam legitur. Sic constitit in fori-

foribus tentorii minoris Exod. XXXIII, 9. maioris Num. XI, 25. XIV, 10. et locutus est Deus per illam cum Mose. Alibi cum Mose et Aarone Num. XII, 5. XVI, 20. XX, 6. 12. cum Mose et Iosua Deut. XXXI, 15. Iam non potest intelligi, quomodo illa nubes, quae constitit super tectum tentorii, seseque demisit interdum cum Mose loquendi causa, eadem fuerit in adyto perpetua sede sua, nisi diuersam hancce, duasque adeo nubes, aliam extra tentorium, aliam intra illud, libeat comminisci. Si eadem fuerit, dicendum necessario, egressam e sancto sanctorum, vbi demissa a tecto in foribus tabernaculi assisteret, vnde reditura in suam sedem, etiam in adytum recederet; omninoque statuendum cum LVNDIO, vt supra diximus, transiisse nubem per tectum tabernaculi, ita vt et extra illud in tecto, et intra illud in adyto conspiceretur, quod e sacris libris nullo modo potest doceri. Dicitur enim tantummodo nubes se demisisse a tecto, vbi Deus vellet cum Mose loqui; sublata esse indidem, vbi essent castra mouenda, recessisse in tectum, vbi ponenda: ingressa autem adytum, vel egressa inde, nusquam legitur. Quod si alia fuerit nubes in tecto, alia in adyto, haec, vbi proficiscendum erat, sese abscondidit, atque euanuit, vbi rur-

ſus tabernaculum poneretur, rediit. Sed neque de hoc in ſacris literis quicquam relatum legimus.

§. VII.

Cum paucos ante menſes viro cuidam Hebraicarum literarum doctiſſimo, nunc e viuis ſublato, inſtitutum meum expoſuiſſem, hoc ſolo argumento vtebatur, quo demonſtraret, nubem fuiſſe ſuper arca, meque adeo ab iſto inſtituto abſtraheret, quod ſaepe diceretur in libris ſacris ignis exiſſe a Domino e. g. Leu. IX, 24. vbi lapſus ignis in ſacrificia X, 2. vbi in filios Aaronis, Num. XVI, 35. vbi in Koraitas; hunc vero ignem veniſſe e nube, quae fuerit in adyto. Quam ſententiam vidi poſtea aliis etiam viris doctis placere, in hoc quoque Iudaeorum magiſtros ſecutis, ita tamen, vt alii dicant, ignem iſtum veniſſe e nube, quae ſteterit ſuper tabernaculo, alii ex adyto. CALOVIVS ad Leu. IX, 24. *a Domino. In Hebraeo*, inquit, *a faciebus Domini, a propitiatorio, vbi tunc primum Deus ſtatuit aſpectabile praeſentiae ſuae documentum.* Sic etiam COCCEIVS *in Lexico ad vocem* פנים et LVNDIVS *Sacr. Iud. L. I. c. 10.* vt alios taceam. Vnde apparet, ſententiae huic maxime praeſidium quaeri ex verbis מלפני יהוה quae cum ſint ad verbum, *a facie Domini*,

mini, nubem habent pro ista facie, atque propterea e nube venisse ignem opinantur. Sed mirandum profecto, tam parum firmo argumento duci quemquam potuisse. Quis enim nescit, quod iam supra diximus §. II. vocem פנים apud Hebraeos hoc modo poni sine vllo respectu ad aliquam faciem, et verba לפנים מלפנים על פנים obtinere vim et locum praepositionum, quae simpliciter verti debeant, *ante*, *a*, *super*; vti et videmus haec verba ab his ipsis interpretibus aliis in locis verti, nec *faciem* interpretando exprimi. In hac vero causa aliquam vim iis tribuunt, vt scilicet sententiam semel conceptam inde confirment. Nam etsi negandum non est, מלפני voci יהוה esse adpositum saepe tum, cum Deus externo suae praesentiae signo vsus fuit; non tamen id propterea factum, quod illud externum symbolum hac voce exprimeretur, quae rursus tum quoque ponitur, vbi nullum tale conspicuum signum intelligi potest, vt Ps. VII, 2. מלפנך משבטי יצא et Es. LVII, 16. רוח מלפני יעטוף Quis non videt hic simpliciter significare *a te*, *a me*. Quod quidem clarissime quoque apparet inde, quod, quae acta sunt extra adytum in sancto, omninoque in tabernaculo, vel etiam extra illud, tamen dicuntur in sacris libris facta esse

לפני יהוה vt Deut. XXVI, 13. vbi primitias offerentes iubentur formulam aliquam recitare לפני יהוה quod recte vertit Iosephus ἄντικρυς τȣ͂ τεμενίσματος *Ant. Iud. IV, 8.* et supra vidimus filios Aaronis mortuos esse בקרבתם לפני יהוה Leu, XVI, 1. cf. Leu. IV, 4. Deut. XXX, 11. XVI, 12. Sic etiam sacrificia offerentes, quamuis tentorium non intrarent, tamen dicuntur faciem Dei videre Exod. XXIII, 15. de quo supra quoque vidimus; quod aeque dici potuit, et vere etiam dictum est de templo secundo, vti clarum est ex Zach. VIII, 21. vbi diserte dicit vates, venturos esse olim homines ad templum secundum לחלות את פני יהוה Etiam si igitur per se vel aliunde esset certissimum, ignem istum extitisse ex adyto, tamen, externum Dei symbolum ibi fuisse, nisi aliunde constiterit, ex hoc vocabulo non potest colligi. Nec vero video, quae necessitas cogat statuere, eiusmodi symbolum in adyto extitisse, si vel maxime ignis ex adyto prouenerit; ex quo quippe potuit prouenire, si ibi vel sine externo signo praesens fuit Deus. Nam et de coelo, hoc est, ex aëre, missus est diuinitus ignis, et e terra erupit, atque is ipse exisse a Deo dici potest. Quod egregie confirmat locus PHILONIS *L. III. de Vita Mosis p. 676.* vbi eadem

com-

commemorat, quae ſunt in ſacris libris, in dedicando nempe tabernaculo ignem delapſum in victimas, eumque ignem etiam proueniſſe *ἐξ ἀδύτων*, quae forte tum erat communis ſententia Iudaeorum. Ἐκ τῶν ἀδύτων, inquit, *εἴτε αἰθέρος ἀπόσπασμα τοῦ καθαρωτάτου, εἴτε ἀέρος, κατὰ τῶν στοιχείων φύσει μεταβολὴν ἀναλυθέντος εἰς πῦρ, αἰφνίδιον ἀθρόα φλὸξ διεκκαίει, καὶ συντόμῳ ῥύμῃ φέρεται μὲν ἐπὶ τὸν βωμὸν, τὰ δὲ ἐξ αὐτοῦ πάντα ἐξαναλίσκει, πρὸς, οἶμαι, σαφεστάτην δήλωσιν, ὅτι οὐδὲν ἄνευ θείας ἐπιφροσύνης ἐπετελεῖτο.* Ex quo loco videmus, PHILONEM quidem putaſſe, ignem extitiſſe ex adytis, nec tamen dicere, veniſſe e nube, quae fuerit in adyto (nam de illa nube plane apud PHILONEM nihil reperitur, de quo infra erit dicendi locus). Dubitat enim, vtrum extiterit ex aethere puriſſimo, an ex aëre in ignem mutato; quod non dixiſſet, ſi illi conſtitiſſet de nube illa ſuper propitiatorio. Sic et nos ergo poſſumus cum PHILONE ſtatuere, ignem proueniſſe ex adyto, nec tamen ideo dicamus neceſſe eſt, nubem ibi fuiſſe, e qua prodierit. Sed ne hoc quidem certum eſt, ſaltem non poteſt ex locis iſtis, quae attulimus, omninoque e ſacris libris probari. Clarum potius eſt ex iisdem, ignem iſtum in ſacrificia

filiosque Aaronis lapſum veniſſe de coelo, vt et alias factum eſt, v. c. Gen. XV, 17. in ſacrificio Abrahami, 1 Reg. XVIII, 38. in ara Eliae, 1 Chron. XXII, 26. in ſacrificio Dauidis, 2 Chron. VII, 1. Salomonis, vbi diſerte dicitur veniſſe de coelo. IOSEPHVS vero dicit *Ant. Iud. III, 10.* de ſacrificio Aaronis: ἐπικειμένων τῶν ἱερῶν τῷ βωμῷ αἰφνίδιον ἐξ αὐτῶν πῦρ ἀνήφθη αὐτόματον, καὶ ὅμοιον ἀστραπῆς λαμπηδόνι ὁρώμενον τῇ φλογὶ, πάντα ἐδαπάνα τὰ ἐπὶ τοῦ βωμοῦ.* Et de filiis Aaronis refert ſimpliciter κατεκαύθησαν τοῦ πυρὸς ἐπ' αὐτοὺς τὴν ὁρμὴν βαλόντος, vt videatur credere, igne illo, quem attulerant, in eos conuerſo periiſſe: quod etſi eſt falſum, indicat tamen, ab iſta ſententia eſſe alienum, quae ignem iſtum e nube eliciat. Ac ne quis propterea putet v. c. Leu. IX, 26. a Moſe dici ignem veniſſe e nube, quia v. 25. dicatur *gloria Dei*, qua ſaepe in ſacris libris nubes illa indicatur, *apparuiſſe*, tumque ſequatur; *et ignis exiit a Domino*: doctiſſimis interpretibus obſeruatum iam eſt illud ו in ותצא (quae copula apud Hebraeos multas ac varias habet ſignificationes, quod ſciunt omnes) hoc loco eſſe *nam*, atque hunc adeo eſſe ſenſum: *gloria ſeu maieſtas Dei toti populo declarata eſt, etenim ignis eſt delapſus de coelo in ſacrificia;*

quod

quod optime expreſſit LVTHERVS in verſione: vt adeo per hunc ipſum ignem coelo delapſum diuina maieſtas et praeſentia declarata eſſe dicatur, neque adeo illud praeſentiae diuinae ſignum, nubem in tabernaculo, hoc loco indicare voluerit Moſes.

§. VIII.

Sed iam reliquis miſſis, vt leuioribus fere, quae a multis, inprimis a LVNDIO, e libris ſacris afferuntur, huic ſententiae illuſtrandae, poſteaquam id effeciſſe videmur, vt primis temporibus, cum in itinere eſſent Iſraelitae, nullam eiusmodi nubem in adyto tabernaculi fuiſſe appareat; age iam pergamus ad ſequentia tempora, et de his quoque videamus, an poſſit e libris ſacris probari, confecto itinere, in terra Cananaea nubem ſuper arca fuiſſe, et quidem primo ante templum exſtructum. Eſt haec communis et Iudaeorum et Chriſtianorum opinio, neque temere ſuſcepta, nubem illam ducem Iſraelitarum, poſt mortem Moſis ſaltem, Iſraelitis non amplius viſam, et quamquam in hoc quoque mira fabulantur, pro more, Iudaei, hoc tamen omnes, quos vidi, confitentur, poſt mortem Moſis eam diſceſſiſſe. A conſpectu igitur populi ab eo tempore remotam quidem fuiſſe dicunt, manſiſſe

tamen ſuper arca in adyto, et hanc ſibi ſedem, quam et ante habuerit, perpetuam retinuiſſe. Sed ne ſic quidem argumenta ſibi deeſſe putant ſententiae vulgaris patroni, quibus probent, nubem e conſpectu quidem populi amotam, in ſancto ſanctorum tamen perpetuo remanſiſſe. Iam cum nullus locus extet, qui diſerte dicat, poſt ingreſſum Iſraelitarum in terram Cananaeam nubem in arca ſediſſe, repetunt ante omnia loca illa, de quibus iam diximus, inprimisque Leuit. XVI, 2. quem cum ſenſu vulgari accipiant, Deum etiam inde colligunt et hoc tempore, et deinde perpetuo vſque ad exciſum templum in nube ſediſſe ſuper propitiatorio; et huic iam loco omnia reliqua accommodare laborant. Deinde vero duobus inprimis argumentis vtuntur, quibus hoc perſuaderi poſſe putent. Primo, quod Deus dicatur ſedere ſuper Cherubinos, vel inter eos, ſtatim per nubem factum eſſe ſtatuunt: deinde e maxima arcae ſanctitate et caerimonia, neque minus perpetratis ea ſubinde miraculis, Deum per nubem ſuper ea fuiſſe praeſentem, demonſtrant.

§. IX.

Quod ad primum attinet, multa quidem extant in ſacris libris, in quibus dicitur Deus *ſedere*

ſuper

ſuper Cherubinis, tanquam throno ſuo, v. c. 1 Sam. IV, 4. 2 Sam. VI, 2. 1 Chron. XIV, 6. Pſ. LXXX, 2. XCIX, 1. 2 Reg. XIX, 15. Eſ. XXXVII, 16. vt alia taceamus: itemque arca dicitur cum Cherubinis ſcabellum Dei, 1 Chron. XXIX, 2. Pſ. XCIX, 5. vnde fit, vt a Paullo etiam dicatur *θρόνος χάριτος* Ebr. IV, 16. Sed dubitandum certe, quisquamne futurus ſit, qui ex his intelligat, nubem fuiſſe ſuper Cherubinis, niſi iam occupatus iſta opinione ad ea explicanda acceſſerit. Quid enim eſt, quaeſo, in his verbis, quod hoc ſuadeat? E vocabulo quidem *ſedendi* nihil poteſt colligi, quod quis neſcit, vbi de Deo dicatur, humano more dictum, vt in aliis ſolet verbis fieri, ſimpliciterque *manendi*, *habitandi*, ſignificationem habere, vt recte obſeruat GEIERVS ad Pſ. LXXX, 2. Dicitur enim eodem modo etiam *equitare* ſuper Cherubinis Pſ. XVIII, 11. vbi tamen ad arcam non reſpicere videtur Dauides: quo de infra dicendi locus erit. Quodſi ex hac voce tale quid poſſit colligi, nec minus inde, quod arca dicitur Dei thronus, et ſcabellum pedum eius; conſequens etiam eſſet, Deum in coelo per aſpectabile ſignum conſpici, in quo eodem modo ſedere, tanquam throno ſuo, dicitur. *Sedes mea eſt coelum*, dicit ipſe Deus Eſ. LXVI, 1. *terra autem*

 ſcabel-

ſcabellum pedibus meis; quo tamen nihil aliud ſignificari omnes fatentur, quam Deum eſſe regem coeli et terrae, cunctaque vi ſua et numine implere; quod alibi dicitur, v. c. Pſ. XLVII, 9. *regnat Deus in gentes, Deus ſedet in ſancto ſuo ſolio.* Quid vero? Nonne Deus ipſe dicit Ezechieli, cum ei per viſum oſtenderet templum ſecundum, hanc etiam fore ſedem ſuam, ſuumque thronum, cum tamen templo huic arcam defuiſſe omnes fateantur? Sic enim Ezech. XLIII, 7. את מקום כסאי ואת מקום כפות רגלי אשר אשכן שם בתוך בני ישראל. Clarum igitur eſt, his omnibus locis, vt et reliquis ſimilibus, hoc tantum ſignificari, Deum ſuper arca quidem eſſe praeſentem, et Cherubinis tanquam throno inſidere, ſed non alio modo, quam quo fuit in templo ſecundo, ſine vllo externo ſigno, de quo nihil ex eiusmodi quidem locis conſtare poſſit, quae omnino magis ad illuſtrandam hanc opinionem, ſi aliunde conſtaret, quam ad probandam valere videntur.

§. X.

Idem dicendum nobis videtur de reliquis argumentis, quae opinioni iſti porro confirmandae afferri ſolent. Quod enim dicunt, maximam fuiſſe

arcae

arcae ſanctitatem, quam ne tangere quidem praeter ſacerdotes vlli fas cuiquam eſſet, eaque, vbi arca venerit in caſtra Iſraelitarum, Deus veniſſe dicitur Ioſ. XXIV, 14. tantaque adeo reuerentia illi habita ſit: hinc, praeſentem in ea Deum vim exſeruiſſe, colligamus licet, ſed non illico conſpicuum huius praeſentiae ſignum, nubis videlicet, attribuamus. Tota enim arca erat ſymbolum praeſentiae diuinae, cui ſimpliciter Deus adeſſet ſine alio ſymbolo. Non apparet certe, quomodo hoc ſit conſequens, vt nubes neceſſario adfuiſſe cenſenda ſit. Accedit, quod, ſi vel maxime nubes adfuiſſet in adyto ſuper arca, non probabile tamen ſit, eam ſuper arca etiam manſiſſe, vbi extra adytum elata eſſet arca, ſiue ad exercitum ducendum, ſiue alio quo portaretur; quaeque adeo miracula per eam perpetrata legantur, fuſis ſaepe hoſtibus, et Palaeſtinis propter eam maxime vexatis, quae ipſa in ſubſidium vocantur a quibusdam, ea non nubi cuidam ſuper arcam aſpectabili, ſed praeſentiae diuinae ipſi per ſe tribuenda ſint. Quid enim? ſi nubes ab arca indiuulſa in exercitu quoque adfuit, ad Palaeſtinos etiam, cum arca ab iis capta eſſet, cum eadem tranſiit? quod quidem nemo facile admiſſurus videtur, nec vero credibile ex eo, quod Palaeſtini,

hac

hac nube conſpecta, facile haud dubie intellexiſſent, hanc eſſe diuinam ſedem, eamque adeo timuiſſent, nec tam facile recepiſſent. Neque vero illud credibile, libros ſacros hanc rem ſiluiſſe, ſi a Palaeſtinis viſa fuiſſet nubes; quod neque hoc loco, neque in aliis dicitur, ſolius ſemper arcae mentione facta. Quid vero iis, qui hoc velint defendere, magis eſſe aduerſum poteſt, quam quod, abſente etiam arca e tabernaculo, non ſolum ſacra peracta a ſacerdotibus, tanquam adeſſet, ſed etiam facta eſſe dicantur לפני יהוה. Doegus ab Abimelecho cum ſancto incluſus eſſet, dicitur fuiſſe לפני יהוה 1 Sam. XXI, 7. quamuis tum abeſſet arca. Ex quibus omnibus conficitur, vt illa, ſi qua fuerit, nubes nec arcae ipſi, nec adyto vtique tam adſtricta et aſſidua fuerit, quam vtrimque fuiſſe pariter velint ſententiae illius propugnatores: qui quantis difficultatibus ex omni parte premantur, deinde pluribus demonſtrabimus.

§. XI.

Viſum etiam quibusdam, nominatim LVNDIO, atque RELANDO *Ant. S. Hebr. P. I. c. 5. §. 27.* hinc argumentum ſuppeditari, quod dicitur Pſ. XCIX, 6. 7. Moſi, Aaroni, atque etiam Samueli Deus apparuiſſe in nube; quam negant aliam

fuiſſe

fuisse ab ea, quae super arca sederit. Sed si vel maxime diceretur Samueli Deus apparuisse per nubem, consequens tamen non esset, vt illa ipsa nubes haec fuerit ex arca. Neque enim adytum ingressus dici potest, vt eam posset videre. Neque vero hoc eo in loco dicitur, qui tantum, quod male erat intellectus, hoc persuasit. Videamus ipsa verba: משה ואהרון בכהניו ושמואל בקראי שמו קראים אל יהוה והוא יענם בעמוד ענן ידבר אלהם. Quoniam igitur Moses, Aaron et Samuel in antecedentibus sunt, putant etiam sequentia, quibus dicitur in nube cum iis locutus esse Deus, ad Samuelem itidem pertinere. Sed ad Mosen tantum et Aaronem referenda esse, non ad Samuelem, demonstrarunt alii, inprimis GEIERVS ad h. l. *De Samuele*, inquit, *tale quid non legitur, adeoque affixum non ad singula spectat, quae praecedunt, sed ad subiecta tantum duo priora, simulque ad remotiora.* Hanc vero esse consuetudinem loquendi apud Hebraeos, multis exemplis potest confirmari, et demonstratum est ab ipso GEIERO, v. c. Ps. XVIII, 15. XLIV, 3. Gen. XIX, 13. 2 Sam. XXI, 14. Refertur igitur ad Samuelem tantum hoc, quod Deum inuocauerit, et hic responderit illi, fueritque propitius.

§. XII.

§. XII.

Cum igitur nulla possint e libris sacris testimonia idonea afferri, quae persuadeant, nubem hoc quidem tempore fuisse super arca in tabernaculo: dispiciamus tandem, quid dicendum sit de argumentis iis, quibus volunt demonstrare, nubem fuisse super arca in templo. Primarium repetunt ex 1 Reg. VIII, 10. 11. 12. coll. 2 Chron. VI, 1. VII, 2. 3. vbi dicitur Salomo, exstructo templo, arcam inferri iussisse per solemnem pompam in templum, et quidem in locum suum, nempe in adytum; quo simulatque posita fuerit a sacerdotibus, egressis illis ex adyto, nubem ita implesse totam domum, vt ne stare quidem sacerdotes possent, et sacrificare, densissima nebula impediti. Eius autem rei miraculo perculsos homines instruxisse Salomonem his verbis: אמר יהוה לשכון בערפל *Deum dixisse, se habitare in caligine.* Hanc igitur nubem et hanc caliginem esse volunt illam ipsam nubem, quae in adyto locum suum super Cherubinis tenuerit. Apparet autem ex his, factum in dedicando templo, quod factum esse vidimus in consecrando tabernaculo, eademque adeo huic rationi esse respondenda, quae supra ei opposuerimus. Dicitur enim itidem gloria Dei, quae

voca-

vocatur nubes diserte 1 Reg. VIII, 10. 11. 2 Chron. V, 13. 14. totam domum implesse, atque etiam visa fuisse a Iudaeis super tectum templi 2 Chron. VII, 3. vt olim super tabernaculo consecrando, et in eodem, conspecta fuerit; quae vti discessit deinde a tecto, et templi sanctuario eiusque partibus, ita decessit etiam ex adyto, vbi non solum arcam, sed reliqua etiam ante oppleuerat: omninoque clarum est, Deum quidem hac ratione populo ostendisse, se praesentem huic templo fore, vt antea tabernaculo fuerat, suam vero Schechinam, seu nubem, hoc modo templi adyto intulisse, quae ibi perpetuo maneret, ex his locis non potest iudicari. Maximum vero huic opinioni praesidium quaerunt in verbis Salomonis, qui in hoc spectaculo admonuit, hoc illud esse, quod Deus dixerit, לשכון בערפל, de quo integra extat dissertatio ad calcem *Apparatus Hist. Crit. Antiquitatum S. Cod. et Gentis Hebr.* a I. G. CARPZOVIO v. c. editi, vbi ita explicatur, vt Salomo voluerit hoc significare: Deum promisisse, se habitaturum in caligine, seu nube, quod idem est: atque ex eo colligitur, Salomonem intelligere hac caligine nubem illam, quae in arca foederis fuit. Atque id vti vere a Deo promissum esse adpareat, affertur locus ex

Leuit.

Leuit. XVI, 2. vbi, ex vulgari interpretatione, Deus dicit, ſe appariturum in nube ſuper propitiatorio. Sed clarum eſt, hunc locum, ſi vel maxime ſic eſſet capiendus, quod tamen ſupra negauimus, tamen huc non poſſe trahi. Salomo enim hac ſua oratione ad nubem reſpicere non potuit, quam in adyto ſuper arca fuiſſe dicunt, cum eam nec ipſe, nec populus potuiſſet videre, ſed ad eam potius, quae fuit per totum templum diffuſa; et in hac ipſa nebula, quae totum templum oppleuerat, dicit adeſſe Deum: quod inde demonſtrat, quia Deus dixerit *ſe habitaturum*, ſeu *habitare* (vtroque enim modo poteſt hoc verbum explicari, et ſic forte melius ac ſimplicius) *in caligine:* vt adeo Salomo, viſa hac nube totum templum replente, hoc dicere voluerit: Deus dixit, *) ſe habitare in caligine, hoc eſſe

*) Quaeritur, vbi hoc dixerit Deus, ſe habitaturum, vel habitare in caligine. Leu. XVI, 2. huc trahi non poſſe oſtendimus. Magis huc pertinere videtur Exod. XIX, 9. vbi dicit Deus Moſi, *ſe venturum ad eum in caliginoſa nube;* qui locus hic et ipſe ſolet afferri. Cum autem praeter hunc nullus in ſacris libris extet, vbi Deus dicat diſerte, et ſine aliquo additamento, ſe habitare in caligine: dici forte poterit, ex diuino quodam libro, qui in numero Canonicorum non eſſet, qualesque

esse suae praesentiae signum, sic suam se praesentiam solere declarare; atque ex ista nube intelligimus,

lesque fuisse nemo ignorat, hoc habuisse Salomonem; aut a maioribus veluti per manus ipsi traditum fuisse. Quae enim necessitas adigit, vt, quod *dictum* a Deo sit, in sacris literis etiam *scriptum* quaeramus? quasi non praeterea multa Deus dixerit, quae nec perscripta literis, nec ad nos prodita sint? Ceterum fatemur, Deum *caliginis incolam* dici propterea, quod praesentiam suam per nubem solitus sit inde a principio rerum saepe manifestare, vbi voluerit cuiquam apparere, quemadmodum etiam per ignem: quod propterea Deum fecisse Moses indicat Deuter. IV, 4. ne visa aliqua specie alia, idolum sibi facerent Israelitae, procliues ad idololatriam, vt alias causas taceam, optime explicatas a CARPZOVIO l. c. Inde factum est, vt, vbi scriptores sacri vellent Dei maiestatem humano more exprimere, eum nube, tenebris et caligine tectum describerent, vt est apud Dauidem Ps. XVIII, 10. XCVII. 2. E quibus locis quidem apparere videtur, Dauidem, cum per prosopopoeiam Dei maiestatem, et Hebraico quidem more, describeret, respexisse ad descensum illum Dei in montem Sinam, vt demonstrat GEIERVS ad h. l. non vero ad nubem in propitiatorio, ad quam eum respexisse quidam coniiciunt propterea, quod illum Psalmum XVIII. conscripsisset post victos hostes, quos quidem sine dubio arcae et nubis super illam praesentia perculsos fuisse,

mus, hoc domicilium, quod exſtructum ei eſt, illi eſſe gratum atque acceptum, illudque perpetuo Deum inhabitaturum. Et quis non videt, Salomonem et reliquos hoc ſigno certiſſimos reddi potuiſſe de praeſentia Dei perpetua in templo, non ſecus ac olim Moſes et Iſraelitae, cum etiam tabernaculum tali nube, praeſentiae diuinae ſigno, inauguraretur; neque adeo fuiſſe neceſſarium, vt haec praeſentia alia nube in adyto declararetur. Quod vero dicunt, hac nebula, quae totum templum oppleret, Deum quaſi induxiſſe Schechinam ſuam, ſeu nubem, in adytum, ſumunt illud quidem, ſed non probant, nec poteſt magis ex hoc loco demonſtrari, quam, ante exſtructum templum in adyto fuiſſe, e libris ſacris doceri. Neque Deum per caliginem illam quicquam aliud voluiſſe indicare, quam ſuum id fore domicilium, ſuamque ſedem, inprimis vero in adyto ſuper Cherubinis, vt antea factum; nubem autem praeſentiae ſuae ſym-

ſe,[1] nube tum illos horrendo aſpectu et tonitribus fulminibusque terrente, in fugamque vertente. Quas meras eſſe coniecturas, ortas non niſi ex opinione illa de nube ſuper arca, quilibet videt. Illa enim cuncta nihil aliud ſignificant, quam diuinum auxilium Iſraelitis adfuiſſe, terroremque hoſtibus quocunque modo incuſſum.

ſymbolum nullum adyto intuliſſe perpetuo ibi manſurum, clariſſime puto demonſtrari inde, quod Ezechiel, cum videret templum ſecundum ad praeſcriptam a Deo formam, vidiſſe etiam dicitur hanc nouam domum *repletam gloria diuina*, quae itidem nebula indicaretur, Ez. XLIII, 4. 5. et rurſus dicitur *plena fuiſſe aedes gloria diuina* Ez. XLIV, 4. Ecce! id ipſum eſt, quod Deus voluit ſignificare Ezechieli hoc viſo, hanc quoque aedem fore ſuum domicilium, nec minus in eo templo ſe habitaturum, quam in priori Ez. XLIII, 7. Atqui afuiſſe ſecundo templo Schechinam illam omnes fatentur.

§. XIII.

Sed ex hoc ipſo Ezechiele afferuntur a RELANDO *Ant. Hebr. l. c.* et LVNDIO quaedam, quae vincere videantur, nubem in templi adyto ſuper arca fuiſſe. Dicitur enim Ezechiel per ſpeciem oblatam vidiſſe in templo primo gloriam Dei, tollentem ſe a Cherubo IX, 3. X, 4. et in eundem locum reſidentem X, 18. 19. tandemque a Cherubinis ſublatam exiiſſe ex vrbe, et in monte conſtitiſſe, qui eſſet extra vrbem verſus orientem XI, 22. 23. Sed ibi quidem primo diſerte dicitur, non diuerſam fuiſſe hanc viſionem ab illa, quam viderat ad aquam

Chebar X, 15. 20. vbi item ſuper Cherubinis viderat gloriam Dei I, 28. et vbi certe non intelligenda arca cum Cherubinis, quae fuit in adyto. Ac ſi vel maxime ibi quoque templi ſpeciem vidit, non tamen omnino dicitur vſpiam Ezechiel vidiſſe hanc ſpeciem ita, vt ſibi videretur eſſe in adyto. Sed ſi vel hoc concedamus, non tamen conſequens eſt, quod eo tempore, ad certum aliquod Dei conſilium, per ſpeciem, non in rerum natura, conſpexerit extra ſe raptus vates, id vere ac ſemper in templo adfuiſſe. In viſis enim propheticis, vbi Deus reuelare aliquid vatibus vellet, ſuamque iis praeſentiam declarare, neceſſe vtique erat, per ſignum et ſpeciem aliquam ſe iis praebere conſpiciendum, quod quidem per nubem vel ignem ſemper eum feciſſe conſtat. Hoc igitur ſymbolo, ſeu nube, ſeu fulgore ſuper Cherubinis praeſentiam ſuam quidem declarare voluit Ezechieli, atque etiam indicare, ſe ab eo loco diſceſſurum, quem huc vſque habitauerat; mox enim futurum erat, vt et tota vrbs et templum exſcinderetur; ſed ex hoc non conſequens, vere ac perpetuo ibi fuiſſe hoc ſymbolum. Etenim ſi omnia, quae vidit Ezechiel per iſtam ſpeciem, ſic ſe habuiſſent in adyto, Cherubini etiam fuiſſent viui, et mobiles, et habuiſ-

ſent

ſent ſub ſe rotas, inter ſe prunas X, 2. 6. 9. templumque perpetuo fuiſſet repletum nebula et gloria Domini, aſpectabile adeo praeſentiae diuinae ſymbolum in atrio quoque ſemper apparuiſſet X, 3. 4. quod nemini vnquam ex hoc loco in mentem venit. Vide omnino hanc Ezechieli oblatam ſpeciem egregie explicatam a BERN. LAMIO *de Tabernaculo et Templo L. III. C. V. Sect. 3.* vbi id maxime in rem noſtram monet, in viſis vatum vſu veniſſe, vt Deus per nubem vel ignem ſe praeberet conſpicuum, neque tamen ex his coniicit, nubem ſuper arca perpetuo fuiſſe; quemadmodum nec omnino auctor iſte toto illo libro, inprimisque, vbi de arca agit Schechinae vllam mentionem iniicit, quod recte ac ſcienter eum feciſſe, omnes agnoſcent.

§. XIV.

Sed iam veniendum eſt ad loca quaedam Noui quoque Teſtamenti, e quibus et ipſis vulgo ſolet haec opinio de nube ſuper arca confirmari. Huc referunt primo Ebr. IX, 15. vbi omnia, quae in ſancto et adyto fuerint, enumerat Paullus, et Cherubinos appellat χερεβὶμ δόξης, ea, vt putant, de cauſa, quod ἡ δόξα Θεȣ̃, ſeu nubes, et inter eos et ſuper iis reſederit. Sed demonſtrandum erat,

 χερȣ-

χερȣβὶμ δόξης vllo loco sic dici propter nubem, quod nemo fecit. Manifestum vero est, illud substantiuum per hebraismum notissimum pro adiectiuo habendum esse, vt sit, *Cherubini gloriosi*, ἔνδοξοι, vt, *nomen Dei gloriosum*, שם כבוד Ps. LXX, 19. Ac si vel maxime propterea Cherubinos gloriosos velis dictos, quod Deus inter eos sederit, nondum tamen id suadebit, vt per nubem quoque ibi resedisse agnoscamus. Deinde vero clarum est, χερȣβὶμ δόξης hoc loco significare potius *Cherubinos splendidos*, aureos nimirum: δόξαν enim saepe significare splendorem ac dignitatem, patet ex 1 Cor. XV, 41. vbi est, ἄλλη δόξα ἡλίȣ, ἄλλη δόξα σελήνης, ἄλλη δόξα ἀςέρων, *alius splendor, alia dignitas, solis, alius lunae, alius stellarum.* 2 Cor. III, saepe positum est hoc vocabulum, et quidem in διλογίᾳ, mox enim *splendorem*, vt v. 7. vbi Paullus dicit non potuisse ἀτενίσαι τȣ̀ς υἱȣ̀ς Ἰσραὴλ εἰς τὸ πρόσωπον Μωυσέως, διὰ τὴν δόξαν τȣ̃ προσώπȣ αὐτȣ̃; mox *dignitatem* significat. Et hunc esse vsum loquendi apud Hebraeos et Noui Testamenti scriptores, multis constat, v. c. ex Es. XXII, 18. vbi commemorantur *currus gloriae*, quos vertit LVTHERVS optime, *currus splendidos, pretiosos.* Philipp. III, 21. dicitur Christus commutaturus

tūrus esse σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, corpus nostrum miserum, quod affligatur calamitatibus ac miseriis, vt fiat simile τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ, *corpori suo glorioso.* Vnde potius ex illo loco contra hanc opinionem videtur argumentum posse depromi. Si enim vere fuisset nubes super arca, Paullus certe hoc loco, vbi omnia tam diligenter commemorat, quae fuerunt in adyto, praecipuae illius partis, nubis, mentionem non omisisset, idque disertis fecisset verbis, saltem quam haec, quae nunc ibi leguntur, clarioribus. Sed hoc non adeo vrgeamus. Videamus reliqua.

§. XV.

Alius locus est Rom. IX, 4. quem et ipsum fauere sententiae sententiae suae, contra quos disputamus, existimant. Optat ibi Paullus, vt fiat ἀνάθεμα ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν σου, τῶν συγγενῶν σου κατὰ σάρκα, οἵτινές, pergit, εἰσιν Ἰσραηλῖται, ὧν ἡ υἱοθεσία, καὶ ἡ δόξα, καὶ αἱ διαθῆκαι, καὶ ἡ νομοθεσία, καὶ ἡ λατρεία, καὶ αἱ ἐπαγγελίαι. Atqui per hanc δόξαν alii putant intelligi arcam, alii nubem super arca. Sed vbi δόξα simpliciter, nulla antea arcae mentione facta, significet illam arcam, locus nullus potest proferri; quod item intelligendum de eo, quod δόξα significare dicunt nubem, quam vbi tan-

quam externum praesentiae diuinae symbolum denotat, semper adiectum habet τȣ̃ Θεȣ̃ vel Κυρίȣ. Deinde vero, cum haec scriberet Paullus, arca iam non extabat. Atqui Paullus videtur hoc loco loqui de bonis perpetuis, quibus adhuc possent gloriari Israelitae. Plus igitur intelligendum, vti existimat CALOVIVS ad h. l. et latius exponenda illa δόξα, ita nempe, vt sit illa propria ipsis gloria, quam habebant prae reliquis gentibus, vt essent filii ac populus Dei, vt tot miracula facta essent pro iis, quod etiam vult HVNNIVS ad h. l. Hoc sensu etiam verbum δοξάζειν est Sapient. XIX, 22. *κατὰ πάντα, κύριε, ἐμεγάλυνας τὸν λαόν σȣ, καὶ ἐδόξασας, καὶ ȣ̓χ ὑπερεῖδες καιρῷ καὶ τόπῳ παριστάμενος.* Planum vero est, his verbis ad antecedentia respici, vbi commemorantur miranda Dei facta, et liberatio Israelitarum ex Aegypto; vt adeo sensus sit: Deus populum suum glorificauit edendis miraculis, eumque ex Aegypto educendo.

§. XVI.

Plura quidem addere possemus loca, quae huic probandae opinioni afferri solent. Sed ne nimium excrescat haec disputatio, hic subsistimus, sperantes, primaria saltem nos attigisse. Itaque hoc trans-

transacto, pergamus ad alteram disputationis nostrae partem, qua, vti proposuimus, demonstrandum erit, hanc traditionem nullis scriptorum veterum, qui antiquiores saltem Rabbinis sint, e quibus ducta est, testimoniis confirmari, sed altum in his esse ea de re silentium, eamque adeo nec ab hac parte admittendam. Non obscurum quidem nobis est, huic argumento, quod a silentio scriptorum sumitur, exiguam vel nullam admodum vim a multis tribui, idque recte saepe fieri concedimus: sed non vtique tum, cum eiusmodi scriptores rem aliquam silent, qui sint fide digni, atque ipsa res sit ea, quam et scire optime potuerint, et cuius commemorandae et occasionem et causam ac necessitatem adeo, cum reprehensionisque metu, si omitterent, habuisse videantur. Quod si in nostra causa demonstratum dederimus, tum vero hoc argumentum in hac re vim habiturum non leuem speramus. Silent autem de hac re scriptores antiquissimi, antiquiores certe istis Rabbinis, a quibus accepta traditio ad nos peruenit, IOSEPHVS et PHILO, qui si non maiorem, at parem merentur fidem, in hac vtique causa fide dignissimi, de qua edocti esse optime potuerunt, cum essent ambo Iudaei. Deinde nubem istam silent iis locis, vbi commodissima erat

 occasio

occaſio atque etiam cauſa eius commemorandae, nec poterant recte eam praetermittere.

§. XVII.

De IOSEPHO primum videamus. *Ant. Iud. III, 5. 6. 7.* hiſtoriam refert IOSEPHVS conſtituti tabernaculi, totamque eius deſcriptionem ac formam cum omnibus, quae in eo fuerint: et c. 5. primum, vbi eius deſcriptionem exponit, hoc tabernaculum oſtendit totius vniuerſi huius naturam ſignificaſſe, in quo quidem adytum referret coelum, quoniam eſſet inacceſſum ſacerdotibus, *τὸ τρίτον*, inquit, *αὐτῆς* ſc. *σκηνῆς*, *μέρος ὃ τοῖς ἱερεῦσι ἦν ἄβατον, ὡς ὀυρανὸς ἂν εἴη τῷ Θεῷ.* Quod repetit c. 8. vbi dicit mirandum eſſe, qui homines odio proſequantur Iudaeos propter perpetuam opinionem de iis conceptam, quaſi per impietatem numen contemnant, quod ipſi aſſiduo cultu venerentur. Si quis enim tabernaculi fabricam contempletur, et ſacerdotis ornatum (de quo etiam initio huius capitis diſſeruerat) et vaſa, quibus inter ſacrificandum vſi eſſent, intellecturum eſſe, legislatorem ipſum diuinum quendam virum fuiſſe, et falſo adeo impietatis calumniam iis impingi: quae ſi quis omnia ſine inuidia, ſeu partium ſtudio, et pruden-

ter

ter confideret, in his omnibus vniuerfitatis rerum naturam quodammodo defignatam inuenturum. Tabernaculi enim trifariam diftributi duas partes facerdotibus effe conceffas, quae quafi mare et terram fignificarent, tértiam vero partem adfignatam effe Deo, quia coelum etiam hominibus fit inacceffum. τὴν δὲ τρίτην μοῖραν, inquit, μόνῳ περιέγραψε τῷ Θεῷ, διὰ τὸ καὶ τὸν οὐρανὸν ἀνεπίβατον εἶναι ἀνθρώποις. Affignatum foli Deo dicit IOSEPHVS, eoque inacceffum hominibus, non aliam ob caufam, quam quod effet Dei fedes. Sed quid hic de nube? Non fane credibile, IOSEPHVM hoc in loco rem omiffurum fuiffe, vbi commodiffime tradere poffet, tanto quidem magis, quanto maius et fortius hoc effet argumentum refutandis aduerfariis, quibus cum hic difputat IOSEPHVS, quibus non alio modo potuiffet clarius demonftrare, Deum ipfum inter illos habitaffe, Iudaeosque adeo effe veriffimos ac Deo cariffimos Numinis cultores. Ne vero quis dicat, IOSEPHVM hic loqui de adyto in vniuerfum, non de arca et Cherubinis, quae fuerit fedes illius: age videamus et illum locum, quo arcam cum Cherubinis defcribit qui eft c. 6. Ibi, cum eius formam et fpeciem defcripfiffet, nihil addit nifi hoc, operculo eius impofitas fuiffe duas effigies, quas

Hebraei

Hebraei Cherubes vocarent, inque hanc arcam repositas tabulas legis. Quam opportuna et hic fuisset occasio commemorandae nubis, si illi quicquam de ea constitisset?

§. XVIII.

Ne vero hic quis opponat, IOSEPHUM propterea hoc loco nondum mentionem nubis iniecisse, quod, cum inferret arcam sic a IOSEPHO descriptam Moses adyto, nondum descenderit nubes: primo, cum Iosephus in vniuersum hoc loco de arca agat, sine dubio etiam de ista nube dicere debebat. Quod si quis neget, videamus iam, an de illa aliquid dicat eo loco, quo dedicationem tabernaculi refert, qui est c. 10. eiusdem libri, vbi quidem eodem fere modo commemorat, quae sunt Exod. XL. Perfecto enim tabernaculo, inquit; *ἐπέδειξε αὐτὸν ὁ Θεὸς ἡσθέντα τῷ ἔργῳ τῶν Ἑβραίων, καὶ μὴ μάτην αὐτοὺς πονήσαντας ὑπερηφανίᾳ τῆς χρήσεως, ἀλλ' ἐπεξενώθη καὶ κατεσκήνωσε τῷ ναῷ τούτῳ, τὴν δὲ παρουσίαν οὕτως ἐποίησεν. ὁ μὲν οὐρανὸς καθαρὸς ἦν, ὑπὲρ δὲ τὴν σκηνὴν μόνην ἤχλυσεν, οὔτε βαθεῖ πάνυ νέφει καὶ πυκνῷ περιλαβὼν αὐτὴν, ὥστε εἶναι δόξει χειμέριον, οὔτε μὴν λεπτῷ οὕτως, ὥς τε τὴν ὄψιν ἰσχῦσαί τι δι' αὐτοῦ κατα-*

κατανοῆσαι etc. Nihil hic Iosephus nisi hoc, Deum descendisse per nubem super tabernaculum, velut certissimum argumentum, se illi fore praesentem. De nube vero, quae simul descenderit in arcam, perpetuo ibi commoratura, nec hoc loco, nec alibi quid apud Iosephum dicitur, sed vbi de nube agit duce Israelitarum, nihil aliud, quam super tabernaculum eam semper constitisse perhibet, vt est etiam in sacris literis; in ipso vero tabernaculo fuisse, nuspiam dicit. Conf. *Ant. Iud. III, 13.* Quam commode vero et hic dici poterat, si quid de nube super arca IOSEPHO constaret, atque adeo debebat? Idem silentium est eo in loco, quo dedicationem templi describit IOSEPHVS, eodem fere modo, quo est in sacris literis. Sic enim *Ant. Iud. VIII, 3.* *ἐπεὶ δὲ πάντα διακοσμήσαντες οἱ ἱερεῖς τὰ περὶ τὴν κιβωτὸν ἐξῆλθον, ἄφνω πίλημα νεφέλης οὐ σκληρὸν, οὐδ᾽ οἷον ὥρᾳ χειμῶνος ὑετοῦ γέμον ἵσταται, κεχυμένον δὲ καὶ κεκραμμένον εἰς τὸν ναὸν εἰσεῤῥύει καὶ τοῖς μὲν ὄψεσι τῶν ἱερέων, ὡς μηδὲ καθορᾷν ἀλλήλους ἐπεσκότει ταῖς δὲ διανοίαις τῶν ἁπάντων φαντασίαν καὶ δόξαν παρεῖχεν, ὡς τοῦ Θεοῦ κατεληλυθότος εἰς τὸ ἱερὸν καὶ κατεσκηνωκότος ἡδέως ἐν αὐτῷ.* Dicit igitur IOSEPHVS, egressis sacerdotibus ex adyto nebulam totum

tum templum occupasse, non solum adytum, quod etiam est in sacris literis; atque ea re hanc omnibus cogitationem esse excitatam, vt Deum intelligerent praesentem ac libentem hoc domicilium sibi cepisse. Haec igitur apparet a IOSEPHO non alio modo accipi, quam quo a nobis sunt explicata. Atqui videtur IOSEPHVS hoc certe loco rem commemoraturus fuisse, si ita, vt volunt, fuisset; vt appareret, nubem vel ante, vel ab hoc saltem tempore in adyto fuisse, nec ita, vt factum videmus, rem totam siluisse. Neque etiam credibile, IOSEPHVM in vniuersum hanc rem non commemoraturum, si illi de ea constitisset, ac ne vno quidem loco eius mentionem iniecturum fuisse, cuius iniiciendae causam haberet grauissimam. Cum enim, quod iam diximus, nihil maiori futurum honori erat populo Israelitico, quam hoc, si Deus per aspectabile quoddam signum apud eos habitaret, vt certissimum praesentiae suae pignus: IOSEPHVS vtique hoc commemorasset, in hoc triumphaturus, seque et populum suum magnifice ostentaturus aduersariis Iudaeorum, sicut a Rabbinis fieri videmus, qui eam commenti hac maxime de causa videntur: idque adeo quidem magis, quod in aliis quoque rebus videmus, IOSEPHVM res suae gentis augere

potius,

potius, quam deprimere, et gloriam suae genti, quibus possit modis, captare, quod ipsum solet a viris doctis ei saepe exprobari. Neque minus clarum est, eum hanc rem sine culpa et maxima reprehensione non potuisse omittere. Quomodo enim in tam diligenti expositione ceterarum rerum illud taceret, quod esset sane maximum et praecipuum, cuius commemorandi occasionem non certe vnus sed multa loca suppeditarent? Si de illa non tacuerat nube, quae atrium et sacrarium occupauit, cur de illa longe potiori taceret, quae in adyto resideret? Omiserit multa Iosephus, male etiam multa et parum diligenter tradiderit: hoc quidem nec omisisse potest, nec vero male tradidisse, quod ad omnium cognitionem ipsius quidem temporibus necessario peruenisse debuit, si quidem exstitit.

§. XIX.

Idem censendum de PHILONIS auctoritate, qui ipse silet hoc iis locis, vbi non magis quam IOSEPHVS sine reprehensione poterat omittere, profecto commemoraturus, si quidem de ea ipsi constitisset. *L. III. de Vita Mosis p. 668. 669.* enumerat omnia, quae fuerint in adyto et sacrario, ibique describit arcam cum Cherubinis, et quidem sic, vt

signi-

ſignificationem earum rerum arcanam ſimul exponat, quod eum vbique ſtudioſiſſime facere conſtat. Atqui hoc certe in loco, nec in alio potius, nubis illius mentionem feciſſet, ſi quid ipſi de ea conſtitiſſet, ſignificationemque eius arcanam expoſuiſſet. Is, qui allegorias tam libenter captat, in iis quoque rebus, vbi leuior materia eſt, num illud omiſiſſe putandus eſt, in quo recte ac legitime poſſet ingenium exerceri, de quo optima quaeque poſſent dici? Sic de aliis locis PHILONIS cenſendum, veluti *Lib. de Temulentia p. 260.* vbi itidem myſtice explicat tabernaculum, et quae in eo fuerint, dicitque tandem fuiſſe inacceſſum omnibus, niſi quod ſoli Pontifici ſemel omnino per annum licuerit ingredi, cauſamque addit: ἐπειδὴ καὶ ἐξ ἁπάντων μόνος ὁ τῶν ἀσωμάτων καὶ ἀφθάρτων ἀγαθῶν πτηνὸς καὶ οὐράνιος ἔρως ἐνδιαιτᾶται. Ad Cherubinos hic manifeſte reſpicit PHILO, dicitque Deum ſuper iis habitare, non autem in nube; quam certe etiam hoc loco commemoraſſet, nec minus arcanam eius ſignificationem, quam hoc loco in aliis rebus tam anxie et ingenioſe quaerit. Locus maxime inſignis eſt *Lib. de profugis p. 465.* vbi locutus de arca eiusque operculo ſubiicit: ποιητικῆς δὲ καὶ βασιλικῆς, τὰ ὑπόπτερα καὶ ὑφιδρυμένα χερουβὶμ ὁ δ᾽ ὑπεράνω

τούτων

τȣτων λόγος θεῖος, εἰς ὁρατὴν ȣκ ἦλθε ἰδέαν, ἅτε μηδενὶ τῶν κατ' αἴσθησιν ἐμφερὴς ὤν, ἀλλ' αὐτὸς εἰκὼν ὑπάρχων Θεȣ͂, τῶν νοητῶν ἁπαξαπάντων ὁ πρεσβύτατος, ὁ ἐγγυτάτω, μηδενὸς ὄντος μεθορίȣ διαστήματος, τȣ͂ μόνȣ ὅ ἐστιν ἀψευδῶς ἀφιδρυμένος. λέγεται γὰρ, Λαλήσω σοὶ ἄνωθεν τȣ͂ ἱλαστηρίȣ ἀνὰ μέσον τῶν δυοῖν χερȣβὶμ, ὅθ' ἡνίοχον εἶναι τῶν δυνάμενων τὸν λόγον, ἔποχον δὲ τὸν λαλȣ͂ντα ἐπικελευόμενον τῷ ἡνιόχῳ τὰ πρὸς ὀρθὴν τȣ͂ παντὸς ἡνιόχησιν. Hic tantum abeſt, vt PHILO dicat, nubem fuiſſe ſuper arca; vt potius contendat; λόγον illum, qui ſuper ea fuerit ex illo: *Loquar tecum ex operculo inter Cherubinos*, non cadere in ſpeciem aſpectabilem, nec rei ſenſibili eſſe ſimilem. Quocunque ſenſu hoc dicat PHILO, clarum tamen ex eo, nihil ei plane de nube illa fuiſſe cognitum; quae ſi fuiſſet, non incognita eſſe potuiſſet antiquiſſimo et eruditiſſimo, et ſacerdotalis generis viro; cui quare minor fides habeatur, quam Rabbinis; et non longe potius maior, non video. De alio loco PHILONIS, nempe *L. III. de Vita Moſis p. 676.* ſupra iam vidimus §. VII. quae hoc loco non repetemus, ex quo et ipſo clarum eſſe diximus, de nube iſta nihil ei omnino fuiſſe cognitum.

§. XX.

Sed iam, quod tertium erat ex iis, quae proposuimus, id quoque nunc agemus, vt ipsius rei naturam consideremus, quomodo sibi constet, si illa traditio fuerit probata. Deus cum Israelitas educere vellet ex Aegypto per inuia loca ac deserta in terram Cananaeam, se ipsum voluit comitem ac ducem iis praebere, idque per signum externum et aspectabile, per nubem, vt de praesentia pariter et amore ipsius certi, spem caperent certissimam finiendi tandem erroris, sedisque, quam Deus promiserat, obtinendae. Non igitur alio consilio haecce nubes a Deo adhibita dicitur in sacris literis, quam, vt dux viae esset Israelitis; nec perhibetur alii praeterea vsui ab initio statim destinata a Deo fuisse, quasi, vt simul in tabernaculo super arca resideret, quod nec per se videtur probabile. Nec enim necessarium erat, cum Israelitae nubis illius quotidiano aspectu, quae eos praecederet, satis certi esse possent vel sic praesentiae diuinae ac tutelae, neque caussa idonea erat, quare Deus, idque semel quotannis, nec alio quodam modo, sed item per nubem, soli Pontifici in secreto se conspiciendum praeberet. Vbi vero Deus per nubis illius ductum Israelitas in promissis sedibus collocasset,

caſſet, perfecto itinere, euanuit illa nubes, cuius iam nullus vſus eſſet, nullum conſilium. Ab hoc vero tempore neutiquam videtur adeo neceſſarium fuiſſe, aut tantae vtilitatis, vt Deus aſpectabili ſigno ſuper arca habitaret, cum Iſraelitis ſatis iam certo eſſet perſuaſum, habitare Deum inter ipſos, qui et maiores ſuos tantis beneficiis ornaſſet, quique etiam promiſiſſet Moſi, ſe perpetuo inter eos habitaturum, et quidem ſuper arca, quamuis non aſpectabili ſymbolo, quod ne aſpicere quidem magis potuiſſent, quam adytum illud, vbi eſſet, ingredi: vt adeo ipſa potius arca fuiſſe videatur diuinae praeſentiae ſignum, cuius ſumma erat religio ac caerimonia ex inſtituto diuino, per quam etiam ſaepiſſime Deus miracula ederet. Sola poterat arca omnes illos vſus praeſtare, qui nubi tribuuntur. Si hoc ſigno populus praeſentiam agnoſcere debebat diuinam, (aliud enim conſilium habere illam nubem potuiſſe, non prius credere cogemur, quam prolatum fuerit) cur in eo loco apparebat hoc ſignum, quo nemini adire, nulli quicquam conſpicere licebat? Cur non potius in ſacrario, aut alio quo magis conſpicuo loco? An vt ſoli Pontifici, qui omnium minime dubiam habere praeſentiam diuinam poterat, ſemel anno quoque in ar-

cano, ſuffitus nebula conſpectum adimente, appareret (cum ne apparere quidem per ſuffitum poſſet) totum in annum loco illo inacceſſo reſedit? Parum ſane credibile. Sed non vna haec difficultas eſt, qua premantur atque impediantur huius ſententiae defenſores. Etenim, quod ſupra expoſuimus, quomodo nubes illa ſimul extra tabernaculum et intra illud ſuper arca fuerit, niſi duas nubes comminiſcamur, vel nouis nos difficultatibus induamus, vnde non niſi per ea, quae probari nullo modo queant, exitus detur. Vid. quae diximus §. VI. quae hic non repetemus. Ac ne illud quidem facile explicaueris, quid factum ſit etiam poſt finitum iter in ipſa terra Cananaea ante exſtructum templum, cum translata toties arca ad exercitumque ſit ducta. Si dixeris, nubem ſuper arca fuiſſe etiam extra tabernaculum: primo iam in adyto non fuiſſe, deinde ad Palaeſtinos quoque tranſiſſe, dicendum erit. Si vero ſumſeris in tabernaculo manſiſſe, ibique tantum ſuper arca conſtitiſſe, euanuiſſe dicenda erit toties, quoties tabernaculum alio transferretur; quae vero per arcam facta dicuntur miracula, non nubi tribuenda, ſed ipſi praeſentiae maieſtatis diuinae, quae cum ipſa arca ſine vllo alio ſigno externo ſemper fuit coniuncta.

§. XXI.

§. XXI.

Quae cum ita ſint, quid eſt cur ſententiam eiusmodi amplectamur, quae nullis librorum ſacrorum auctoritatibus nixa, non poſſit locis probari niſi iis, quae aut aliter commodius explicentur; aut, primariis illis aliter explicatis, nec infixa iam animo illa opinione, explicari ſecundum eam non poſſint: quae nullis ſcriptorum idoneorum teſtimoniis confirmetur, omiſſa iis in locis, vbi, ſi qua fuiſſet, neceſſario eſſet commemoranda: quae denique tot ac tam iniquis difficultatibus ſemet ac propugnatores ſuos impediat? Certe nemo tam iniquus erit, nobis vt iraſcatur, qui has dubitationes proferendi ius nobis quoque eſſe duxerimus; quam ſi ab aequitate Lectorum noſtrorum atque humanitate veniam tulerimus, ſatis feliciter eueniſſe nobis putabimus, et ſi neminem ad noſtras partes transducere potuerimus. Ceterum auertendae inuidiae cauſa quaſi deprecatoris alicuius auctoritatem, auxilio in extremo, adhibere videtur magni VITRINGAE verba, e loco a nobis ſupra laudato: *Sufficiat dicere, arcam habitationis diuinae ſymbolum fuiſſe, et locum inter Cherubinos ideo praeſens habuiſſe Numen, quia voluntatis ſuae reuelatione inde profecta praeſentem ſe Iſraelitis teſtabatur Deus. Non dubita-*

 mus.

mus, quin aduersa sententia multum debeat Iudaeis, qui de praerogatiuis suae gentis magnifice loqui solent, etsi inter eos aliqui sint, qui hic loci plus ceteris viderunt.

II VIN-

II

VINDICIAE

TRACTATVS DE NVBE S. A. F

COMMENTO IVDAICO

OPPOSITAE

IO. EVERHARDO RAVIO

THEOLOGO NVPER HERBORNENSI

CLARISSIMO

AD PRAEFATIONEM

In ipſo ſtatim limine Diſputationis oppoſitae Cel. RAVIVS mihi meaeque cauſſae eo nomine inuidiam facere ſtudet, quod auſus ſim *contraire vniuerſae eruditorum cum Iudaeorum, tum Chriſtianorum cohorti, in praef. p. 2. Sententiam meam eſſe Iudaeis ad vnum omnibus, ipſisque adeo Chriſtianorum doctiſſimis ſemper improbatam. p. 18.* Vulgaris vero cantilena eorum, qui vel ſolis ex auctoritatibus pendent, vel plus iuſto ſaltem iis tribuunt, alienisque magis quam ſuis oculis verum ſolent dignoſcere; qua leuitate ablatos plerumque ad opiniones inanes et commenta ingeniorum vaniſſima deferri non eſt mirum. Nam hi vt aliquem vident opinioni vulgari ſe opponere, ita ſtatim occinunt: tu vero noua atque inaudita profers; tu conſenſum atque auctoritatem doctiſſimorum hominum laedis! Quaſi vero hoc ad defendendam ſententiam temere

ſuſceptam, vel ad faciendam aliter ſentienti inuidiam, ſufficiat. Quantum peruerſa haec cum aduerſariis diſputandi ratio in omni controuerſiarum genere ſemper dominata fuerit, et nunc quoque regnet, pluribus iam perſequi non attinet. Etſi his temporibus, quorum ambitio, leuitasque dicam, an liberalitas, noua et inſolita tentantibus plus etiam, quam ſatis tutum ſit, iuris atque auctoritatis, immo licentiae conceſſit, deferbuiſſe haec inuidia debebat, et deferbuiſſe mihi videbatur,

Pauca tamen ſuberant priſcae veſtigia fraudis.

Ceterum non poſſum non mirari multorum impudentiam, qui confidenter ſatis ad conſenſum doctiſſimorum cuiusuis aetatis prouocant; quod, cum in rem praeſentem ventum fuerit, longe ſecus ſe habere reperias. Quod eſt magno conatu fucum facere lectoribus. Iam vt veriſſimum ſit, quod ponitur falſumque ſubinde arguitur, doctiſſimos homines in aliqua re conſentire, non tamen illud pro certo veri ſigno habendum, niſi aliunde conſtiterit, manifeſtum eſt. Quam multa enim olim a doctiſſimis hominibus acerrime defenſa ſunt, quae recentiorum temporum inſtructior doctrina acriorque ſubtilitas eodem conſenſu in erroribus ponit; neque quis-

quisquam, si hac conditione standum sit, contra inueteratos errores hiscere ausit, nullus inuestigando vero in qualibet disciplina aditus pateret, omnia coeco assensu essent tenenda, quaecunque antiquitas extra controuersiam esse statuisset. Quis ad tam inepta prolabatur? Prolabuntur autem eo, quamuis non diserte, tacite tamen, qui semper consensum doctorum in defendendis opinionibus suis crepant.

Vt omnino igitur illegitimum illud est, nec quod caussam meam vere premat, argumentum; ita si vel maxime vim aliquam per se possit habere, frustra tamen a Cl. RAVIO mihi opponitur: cum et *ipse sibi in eo parum constet*, et *consensus* ille doctissimorum, ad quem prouocat, *non verus* sit, sed plane *confictus*. Mirari primo subiit inconstantiam Viri boni, quod in me reprehendisset vitii loco, id ipsum committentis in addita ad meum libellum *Dissertatione de Libamine facto in sacra mensa, peruulgatae eruditorum opinioni, atque hos inter Cl. Adr. Relandi sententiae opposita.* Num igitur ipse dubitauit discedere a sententia vulgari, et quidem eorum, quos dicit *sacri idiomatis rituumque et caerimoniarum Mosaicarum peritissimos?* An, quod sibi licere credidit, iure quidem, id nos sumere nobis,

non

non ferendum putauit? In quo quidem iisdem rationibus vſum eſſe vidi, quibus ego vſus ſum: vulgarem opinionem niti maxime ſubleſta fide Rabbinorum recentiorum, ſed neque ex contexto ſacro per legitimam interpretationem confirmari poſſe, nec habere ſuffragatores PHILONEM et IOSEPHVM, teſtes eius rei grauiſſimos. Quod ſi idonea Cl. RAVIO videbantur haec argumenta, vbi ipſe iis vteretur in ſua cauſa; me adhibentem quo iure reprehendit? ipſe in re probabili diſſenſum doctiſſimorum nec curabat nec timebat, quid eundem in me inuidiae faciendae cauſſa criminabatur? Miram vero inconſtantiam, vt leniſſime dicam! nonne hoc eſt, contra ſemetipſum pugnare?

Sed et in eo mihi vere iniuriam facit, quod cauſſatur, me ſententiam defendere *Iudaeis ad vnum omnibus, ipſorum adeo Chriſtianorum doctiſſimis* ſemper improbatam, et *contraire vniuerſae cum Iudaeorum tum Chriſtianorum cohorti:* quod oppido falſum eſſe, clamant allata a me teſtimonia Iudaicorum et Chriſtianorum interpretum, etſi ea in alienum ſenſum contorquet D. RAVIVS, de quo ſuo loco dicemus: placet enim in his Vindiciis ordinem ac tenorem diſſertationis ſequi. Sed nec aliae deerant auctoritates, quas addere potuiſſem, ſi in illis magnum

meae

meae caussae adiumentum posuissem, qui argumentis potius, quam auctoritatibus, pugnandum putabam. Nunc, cum mihi ab hac parte lis mota sit, plures, easque haud spernendas, adiiciam; non eo tamen consilio, quasi nunc magis iis confidam, sed vt abstergam arrogantiae notam mihi adspersam, vt contrariari auso cum Iudaeorum tum Christianorum interpretum cohorti. Iudaeos recentiores non ad vnum omnes a me dissentire, sed eorum doctissimos a meis partibus stare, infra dicendi locus erit; iam Christianorum interpretum spicilegium adiiciemus.

Atque inter primarios quidem ecclesiae antiquioris doctores, qui de illa re iudicare possent, neminem potuimus reperire, vulgari opinioni suffragantem. Omnes omittunt nubis super arca mentionem, quemadmodum PHILO et IOSEPHVS, in locis maxime opportunis, in quibus eam, si quidem de ea ipsis constitisset, non possent sine vitio reticere. CLEMENS ALEXANDR. *Strom. V. p. 563. ed. Paris. Sylb.* vbi de omnibus, quae fuerint in adyto, nominatim de arca et Cherubinis exponit, earumque rerum, vt solet ἀλληγορημάτων captator, mysteria indagat, nihil commemorat de nube; non praetermissurus vtique tam bellam allegoriae

tra-

tractandae materiam, si eius vllam notitiam habuisset. Ne quis autem obiiciat, non huc aduocandos esse Patres, qui literas hebraicas vel leuiter degustarint, vel plane ignorarint: age, perlustremus inprimis illos, qui omnium consensu hebraice docti fuerunt. Praeceptorem sequitur ORIGENES *Homil. IX. ad Leuit. e vers. Ruffini:* laudato enim vers. 1. et 2. cap. XVI. addit: *ex quo ostenditur, quod si in omni hora introeat in sancta non praeparatus, non indutus pontificalibus, neque hostiis, quae statutae sunt, praeparatis, neque propitietur prius Deo, moriatur cet.* paullo post idem repetit: *non omni hora introeat in sancta ad altare, sed cum fecerit prius ea, quae fieri mandantur, ne forte moriatur:* quae est verissima interpretatio, quam et nos sequimur. De duplici deinde aedis parte, sic disputat: *Secunda aedes interior est, solo a priori discreta velamine, inter quod velamen arca testamenti, et propitiatorium, super quod Cherubim duo statuta sunt cet.* nubem super arca silet vtpote ipsi ignotam. Quomodo autem siluisset, si Leuit. XVI, 2. vulgari sensu accepisset: *in nube videbor super propitiatorio?* Cum in eo iam sit, vt adyti, arcae et Cherubinorum significationem mysticam explicet: num credibile est, eum primarium, quod dicunt, praesentiae diuinae symbolum

bolum consulto neglexisse, quod largam ipsi, quemadmodum a recentioribus factum est, ἀλληγορημάτων materiam suppeditasset? Maiorem vim in hac re habet silentium HIERONYMI, qui, quod omnes norunt, a magistro Iudaeo literas hebraicas edoctus, nimis saepe aliis in rebus pendens ab eius et tribulium auctoritate, hac leuitate ineptissima interdum amplectitur. Atque adeo, cum et ipse HIERONYMVS prae aliis sedulus sit in venandis allegoriis, indulgeatque ingenio tam prolixe, vt e rebus minutissimis multa cum argutatione sensum mysticum extorquere tentet: ab illo sane inprimis exspectandum erat, vt in huius quoque symboli explicatione ingeniosum se praestaret, quod tamen nullo in loco, ne maxime quidem opportuno, fecit. Ad Psalm. XCVII, 2. עָנָן וַעֲרָפֶל סְבִיבָיו mire argutatur, quae sit illa nubes, et violentissime huc trahit Ps. XXXV, 6. Es. XIX, 1. Matth. XVII, 12. Nonne procliuius erat, nubem super arca huc aduocare, si quid de illa constaret? quod faciunt recentiores in loco simili 1 Reg. VIII, 10. vt §. XII. a nobis dictum est. Ad Ps. LXXX, 1. XCIX, 1. vbi Deus insidere dicitur Cherubinis, veram quidem Dei praesentiam isto in loco HIERONYMVS praedicat, sed non symbolicam per nubem,

cuius

cuius nullam hic facit mentionem. Ad Pſ. XCIX, 7. ita commentatur: *Locutus eſt Dominus de nube filiis Iſrael; ſed et deinceps afflatus eſt Apoſtolos de velamento carnis aſſumtae, in quo diuinitus obumbrata latebat.* Nubem extra adytum recte intelligit HIERONYMVS, per quam ſaepe cum Moſe et Aarone, ſpectantibus Iſraelitis, collocutus eſt, nec aliam intelligi poſſe diximus §. XI.

Ex aliis doctoribus veteris eccleſiae, hebraicae linguae plane ignaris, et vnice pendentibus vel a Graeca τῶν ό, vel a Latina verſione, mirum non eſt, ſi quos reperias locum Leu. XVI, 2. de nube aliqua ſuper arca intelligere; quamquam ſolum vidimus THEODORETVM in *Quaeſt. XXII. ad Leuit.* ad hanc interpretationem deflexiſſe, ita tamen, vt ab opinione Iudaeorum, quam nos oppugnandam ſumſimus, et ipſe alienum ſeſe oſtenderet. Ἐντεῦθεν δῆλον inquit l. l. ὡς ἐν τῷ ἱλαστηρίῳ τὴν οἰκείαν ἐπιφάνειαν ὁ δεσπότης ἐποιεῖτο ὁ Θεὸς· καὶ τὴν οἰκείαν ἐμφαίνων ἀγαθότητα, οὐκ ἐν γνόφῳ, καὶ καπνῷ, καὶ πυρὶ, καθάπερ τῷ Ισραὴλ, ἀλλ' ἐν νεφέλῃ φωτοειδῆ ἑωρᾶτο. In nube pellucida praeſentiam ſuam exhibuiſſe Deum, dicit, non in fumo et igne, vt Iſraelitis: ergo ab opinione Iudaeorum et Chriſtianorum ſequacium plane abeſt,

ean-

eandem nubem, Iſraelitarum antea in itinere ducem, in adytum deinde ſtatuentium. Videtur autem praeterea THEODORETVS credere, hanc nubem pellucidam tantum die expiationis, vel obſecrationis ſolemnis, viſam fuiſſe, nec in arca perpetuam ſedem fixiſſe, quod Iudaeorum eſt commentum; alio enim loco, vbi per ſingula eundo arcam deſcribit, nubis illius non meminit, facturus vtique, ſi pro ſymbolo praeſentiae diuinae *perpetuo* illam haberet. Adpoſui locum commemoratione dignum, e *Quaeſt. LX, in Exodum.* De arca loquens ita pergit: Επέκειτο δὲ ταύτῃ τὸ ἱλαστήριον ταῖς πτέρυξι τῶν χερουβὶμ σκιαζόμενον· ἐν τούτῳ δὲ ὁ τῶν ὅλων Θεὸς τὴν οἰκείαν ἐπιφάνειαν ἐποιεῖτο. Perpetuam ibi ſedem fixiſſe Deum dicit; ἐπιφάνεια enim ſimpliciter eſt *aduentus*, *habitatio*, adſpectus nulla ratione habita, vt Tit. II, 11. THEODORETVM vero his verbis externum ſymbolum plane excludere confirmant verba ſequentia: ἐπειδὴ γὰρ ἡ θεία φύσις ἀνείδεός τε καὶ ἀσχημάτιστος, ἀόρατός τε καὶ ἀπερίληπτος, καὶ τῆς τοιαύτης οὐσίας εἰκόνα τεκτήνασθαι παντάπασι τῶν ἀδυνάτων, τὰ σύμβολα τῶν μεγίστων αὐτοῦ δωρεῶν ἔνδον κεῖσθαι προσέταξεν. αἱ μὲν γὰρ πλάκες τὴν νομοθεσίαν ἐδήλουν, τὴν ἱερωσύνην ῥάβδος, τὸ δὲ μάννα

 τὴν

τὴν ἐν ἐρήμῳ τροφὴν, καὶ τὸν ἀχειροποίητον ἄρτον· τὸ δέγε ἱλαστήριον τῆς προφητείας σύμβολον ἦν. Naturam diuinam per imaginem nullo modo effingi posse ponit; symbola vero fauoris non extra arcam eminuisse, sed intra eam latuisse, in tabulis legum, manna et virga; totum tandem propitiatorium pro symbolo προφητείας omninoque praesentiae diuinae, sed non naturae diuinae, habet; in quo quidem rectissime THEODORETVM iudicasse, vltro concedimus, ipsique assentimus. Quae vero in hoc loco disserit, nullo modo conueniunt cum iis, quae supra de nube pellucida super arca dixerat: e quo facile intelligas, THEODORETVM ad istam interpretationem superiorem quasi inuitum tractum esse, cum e sola versione Graeca pendens vsum τῦ אראה nesciret.

Vnum praeterea ex antiquitate Christiana testem satis idoneum laudasse suffecerit, CYRILLVM ALEXANDRINVM, virum doctissimum, *Glaphyr. ad Leuit.* περὶ τῦ μὴ εἰσέρχεσθαι τὸν Ααρὼν διαπαντὸς εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. Quamuis ille versionem Graecam Leu. XVI, 2. in hac dissertatione fundamenti loco ponat, nullam tamen mentionem nubis cuiusdam super arca iniicit, sed de ratione solum disputat, qua ingrediendum esset Aaroni adytum,

tum, τίνα γένοιτο τρόπον, καὶ ȣ̓χ ἁμάρτοι τȣ̃ πρέποντος. Ad v. 13. delatus de thuribulo ſumendo ſic ait, *T. I. Opp. ed. Aubert. p. 373.* Ἄνθρακας δὲ δεῖν ἀπ' αὐτȣ̃ λαμβάνειν τȣ̃ θυσιαςηρίȣ προστέταχεν, εἴσω τε ἀποκομίζειν, τȣτέςιν, ἐσώτερον τȣ̃ καταπετάσματος. ἐπιτάττει δὲ ȣ̔́τως αὐτοῖς πλήρη τὴν δρᾶκα λεπτȣ̃ θυμιάματος ποιεῖν, ȣ̃ καὶ εἰς πέρας ἐνηνεγμένȣ, καλύψει, φησὶν, ἡ ἀτμὴ τȣ̃ θυμιάματος τὸ ἱλαςήριον τὸ ἐπὶ τῶν μαρτυρίων. ΤΥΠΟΣ ΔΕ ΗΝ ΑΥΤΟΥ Ο ΧΡΙΣΤΟΣ, ὃς τέθυται μὲν ὡς μόσχος· ὁλοκαυτȣ̃ταί γε μὲν, ὡς κριὸς, καὶ ὅλην ἐπιπίπλησι τὴν ἁγίαν σκηνὴν, τȣτέςι, τὴν ἐκκλησίαν, τῆς νοητῆς εὐοσμίας cet. E quo apparet, CYRILLVM nubem ex odoribus, qua implendum erat adytum remouendumque a conſpectu propitiatorium, pro ſymbolo praeſentiae diuinae, typoque Chriſti habere; non aliam nubem ſuper arca poſitam, quam ſi ſtatueret, in hac ſane potius typum quaereret. Sed ne prolixior ſim in afferendis auctoritatibus, quod inuitus, nec niſi ab aduerſario prouocatus, feci: e recentioribus vnum ſaltem, ſed grauiſſimum ſententiae meae defenſorem laudabo, LVTHERVM, quem quisque ſine dubio inter doctiſſimos literarum ſacrarum interpretes, et iudices harum rerum elegantes ac ſubti-

 les

les referat. Is vero LVTHERVS ab opinione Iudaeorum de nube super arca alienissimus reperitur, in *Commentar. ad* Ps. XVIII, 11. *ascendit super Cherubim et volauit* cet. *Tom. II. Opp. Lat. Ien. fol.* 188. Amplectitur hic sententiam HIERONYMI, qui Cherubim ἀλληγορικῶς explicat, veram sapientiam, quam docent ministri legis et promissionis, seu gratiae, si recte tractetur. *Equitat igitur*, pergit ille, *seu vehitur Dominus super Cherubim in spiritu et veritate, quando per fidem in nobis regnat, quae ministerio vtriusque verbi in nobis paratur. Nam quod noster super Cherubim, Ebraeus aptius dicit, vehitur seu equitat, vt vocale regnum fidei in nobis exprimat. Non ergo noster Cherub vlli loco affixus est, sed vbicunque verbum Dei fuerit, ibi super Cherubim sedet Dominus per Christum, et regnat in nobis.* VNDE ET IN FIGVRA ILLVD SERVATVM EST, QVOD SVPER PROPITIATORIVM ET CHERVBIM NIHIL ERAT POSITVM, QVOD VIDEBATVR, SED SOLA FIDE CREDEBATVR ILLIC SEDERE DEVS, *et inde, inquit, loquar ad te. Ita nobis, non nisi fide creditur Deus in Christo habitare, quod credimus testimonio Cherubim vtriusque testamenti, nec licet nobis vndelibet expectare verbum Dei, nisi ex propitiatorio Christo.* Sumit igitur ille pro re certa satis atque explorata,

super

ſuper propitiatorio, praeter Cherubim, nihil fuiſſe poſitum, quod in oculos incurreret, ſed ſola fide intelligi, ibi Deum habitare. Ergo nugas Iudaeorum de hac ipſa re ſpernit, quas quidem ſine dubio norat, vt cetera eorum commenta et peccata in grammaticis et hiſtoricis: vnde grauiter illos eorumque ſequaces ſubinde reprehendit, probe edoctus, quam parum fidei his hominibus tribuendum ſit, vel per inſcitiam, vel conſulto in Chriſtianae religionis ignominiam ſaepiſſime delirantibus. Cf. quae infra in Diſſert. adiecta de LVTHERO in eandem ſententiam diximus.

AD §. I.*

Iam ſtatim in principio D. RAVIVS mouet I. controuerſias vanas ad rei ſummum diſcrimen et caput non pertinentes. II. Ratiunculis vtitur a poſſibili et probabili petitis, quae in re hiſtorica nihil valent. — כבוד יי, gloriam Dei, quae viſa ſit Iſraelitis, dixi vel nubem vel ſplendorem eſſe eximium, quo Deus maieſtatis ſuae praeſentiam declararet; vtroque enim ſymbolo ſemper vſus eſt Deus in colloquio cum hominibus: quod et nunc defendimus. Sed mentem noſtram minus aſſecutus eſt Cl. RAVIVS. כבוד יי ſcilicet nomen eſt commune denotandae

maieſtati diuinae quouis modo patefactae, ſiue per nubem id fieret, ſiue per ignem; illud interdiu, hoc noctu fiebat. Moſes cum aliquando peteret a Deo aſpectabilem maieſtatis eius declarationem, eodem verbo vtitur: videre cupiebat כבוד יי. Notiſſima haec ſunt, nec dubitationem admittunt. D. R. tamen in alia omnia diſcedit, et כבוד inprimis ſplendorem putat ſignificare, ſed permutari cum nube ita, vt vbi iungantur *nubes* et *gloria*, ſit *nubes glorioſa* intelligenda, *coruſcans*, *radios ſpargens*, vnamque adeo inuoluere alteram, nubemque eſſe vehiculum ignis ſeu gloriae *p. 26.* Haec vero quid ſunt, niſi commenta hauſta e Rabbinis, qui ita Schechinam ſuam deſcribunt. Eadem veſtigia legens LVNDIVS ſub hac forma aeri incidendam curauit, vt radios vndique per nubem ſpargeret. *Pictoribus atque poetis, cet.* Facilem me praeberem in his omnibus Doct. RAVIO concedendis, cum ad rei ſummam non pertineant; niſi me eo nomine grauiter per paginas multas reprehendiſſet, quod non eandem tibiam inflarim. Abundet ſuo ingenio quisque, gratisque ſumtis exultet! Aliam litem non meliori ſucceſſu mihi h. l. mouit. *Nubem* fuiſſe dixi vel *nebulam*, quae tabernaculum repleret, introeuntesque impediret. Hic nodum in ſcirpo

quae-

quaerit: indignum facinus, clamat, nubem cum nebula confundi; acerbeque tam nefanda molientem perstringit; quod subinde illi facere mos est. Nec mihi modo, sed etiam Censoribus Gottingensibus indignatur, qui mei defensionem in hac quoque caussa susceperant. Ita ille *in Praef. p. 7. Audi facinus non minoris abollae! Pro nube tabernaculum et templum ingressa D. Thal. substituerat nebulam cito transituram. Sciscitabar mecum, undenam eam arripuerit, qui noram nec Mosen illam tradere, nec alium vetustum auctorem. Mirabar, quid illud esset, quod mentem antagonistae tam constanter et pertinaciter obnubilaret. Magis mirabar, eam nebulam ab illo, quasi traduce, ad se delatam admittere Censorem Gottingensem, nec solum admittere, sed etiam sacra omnia physica commouere, ac defendere, inter nubem et nebulam nihil interesse. Si verum amasset censor, nouandi pruritum illum saltem virgula censoria notasset, ni fontem erroris denudasset. Neque enim D. Thal. nebulam illam suopte ingenio exsculpsit, sed fortuito arripuit ex inepta et insubida versione Gelenii apud Iosephum ad §. 18.* Tantaene animis caelestibus irae in re tam leui? Serio igitur acriterque defendit, nubem et nebulam toto coelo differre; quod discrimen quae ratio physica aut grammatica illi di-

 ctaue-

ſtauerit, ignoramus; non enim addidit vllam rationem, nec addere potuit; ſed ſtetit pro ratione voluntas. Non ex meo tamen ingenio hanc nebulam concepiſſe, ſed e verſione Gelenii apud IOSEPHVM effudiſſe hariolatur; quam verſionem tamen illo loco nec adſcripſi, nec conſului. Scilicet a Gelenio demum diſcendum erat, quod omnes ſcirent. Nam et nebulae et nubes e vaporibus gignuntur, et paſſim miſcentur, eandemque vim habent et *tegendi* et *obſcurandi*, quae hic maxime ſpectatur.

Sed argumentis II.) pugnat Cl. R. a poſſibili et probabili petitis. Credibile eſſe negat, ſine nube fuiſſe propitiatorium, thronum Dei, ex quo oracula redderet Pontifici; alioquin enim fuiſſe *ſolium inſeſſore vacuum p. 29. imaginarium, quod in ſola mente et cogitatione populi inſideret p. 30. ſine iſta nube aſpectabili ſolatio carituros fuiſſe Iſraelitas prae temporibus antegreſſis, cum per Moſen ederet oracula ſub eiusmodi ſymbolo; totam oeconomiam illorum temporum fuiſſe vmbratilem, ergo Deum ipſum, vel Dei filium, non minus vmbratile quid induiſſe, ſuaeque diuinitatis, tanquam gloriae, humana olim carne quaſi nube velandae, viſibile pignus et figuram extare voluiſſe.* Egregias vero ratiunculas, quas recitaſſe ſat fuerit; cum ſeſe refellant ipſae. Sine aſpectabili

ſym-

ſymbolo thronum Dei in propitiatorio *inſeſſore vacuum et imaginarium* dicere, vereor, ne prudenter, ne pie ſatis dictum ſit, cum diſerte Deus promiſerit, ſe ibi praeſentem ſe exhibiturum. Vbinam dixit, ſe praeſentem maieſtatem *perpetuo* adſtricturum eſſe externis ſymbolis? Veteris vero teſtamenti fideles tam ſtultos praedicare, vt non niſi per adſpectabile quoddam diuinae praeſentiae pignus poſſent verum capere ſolatium, quae ratio eſt? Aduerſa haec ſunt profecto laudi, ab ipſo Spiritu S. illis tributae per totum c. XI. Ep. ad Hebraeos, Moſi inprimis v. 27. Nec tamen eiusmodi ſymbolo plane illi carebant; ἱλαστήριον enim ipſum verus et idoneus erat Chriſti typus, teſte Apoſtolo; nec alius typus ſtatuendus, ex regula ſanorum Theologorum, niſi qui per ipſum Spiritum S. ſit indicatus. Nec minus tota arca ſymbolum erat praeſentiae diuinae; quamquam non placet ſententia eorum, qui naturam Chriſti humanam per eandem fuiſſe adumbratam ſtatuunt ex Coloſſ. II, 3. 9. tolerabilior tamen illa eſt coniectura, quam Cl. RAVII et aliorum, qui in nube ſuper arca figuram humanae Chriſti naturae quaerunt; vere enim nubem captant et ſomnia. Tabernaculum in conſecratione totum permeaſſe nubem, atque adeo etiam

adytum, refert Moses: nil praeterea: D. R. autem, cum reliquis opinionis Iudaicae patronis, illam ipsam nubem statuit, deinde *intra se collectam, in sancto sanctorum super arca constitisse, sedemque ibi fixisse perpetuam.* Postulo eius rei argumentum historicum. Non potest se expedire Cl. R. nisi prouocet tandem ad Leu. XVI, 2. ad commune vltimumque totius opinionis perfugium, quo nunc per disputationis nostrae seriem ipsi delabimur. Antequam ad hanc pugnam, quam ipse *decretoriam* vocat, ventum sit, iam *de plenissima victoria obtinenda gloriatur, p. 24.* Sat festinanter et cupide!

AD §. II.

Cum hic locus Leu. XVI, 2. pro classico habeatur a dissentientibus, arcemque rei in illo sitam ipse Cl. RAVIVS profiteatur, *p. 40.* non poterat sane non in ipso tuendo summopere laborare, quasi pro aris et focis dimicandum esset, omniaque congerere, quibus nouam nostram, quam immerito vocat, interpretationem redargueret. Quod qua fortuna factum sit, lectores iudicent. Nos vero si in vindicanda nostra sententia hic paullo fuerimus longiores, veniam facile laturos speramus; in cete-

ris,

ris, quae ad caussae discrimen parum faciunt, paucis defuncturi.

Male omnino caussam suam agit D. R. cum reliquis, quos secum sentientes habet, quum hunc locum primarium et classicum dicunt, ex eoque vno totam rem confici putant; in quo vehementer eos falli facile demonstrari potest. Classicum locum illum tantum licet agnoscere, qui de re aliqua pronuntiet verbis tam claris, vt per legitimam interpretationem non nisi vnum sensum admittat, qui e tota orationis serie, ex rei ipsius natura, ex argumentis tandem historicis ita confirmetur, vt cuique mediocriter attendenti satisfacere ad firmitatem assentiendi possit. Quorum nihil in locum hunc cadere, manifestum satis est. Grammatica enim ratione verba aeque facile vtramque interpretationem admittunt, et vulgarem, et quam ego defendendam sumsi; בענן enim significare potest *in* nube, et *cum* nube; quemadmodum est in hoc ipso contextu: v. 3. בפר — בזות *cum* his — *cum* iuuenco; cuius rei idonei satis testes sunt Grammatici Hebraei, qui eundem sensum nobiscum huic loco reddunt, vt ad §. seq. dictum est. Vulgaris deinde interpretatio nihil habet adiumenti neque e contextu

tu, neque ex ratione aliqua probabili, neque ex argumentis historicis, quae omnia contrarium suadere demonstraui. Quomodo ergo tandem pro classico loco possit haberi, ad defendendam vulgarem sententiam, *in quo arx totius caussae posita sit*, vt Cl. RAVIVS itentidem nobis occinit?

Quae interpretationi nostrae opponit Cl. Rauius, facillime dilui possunt. Nam quod Graeci Alexandrini et Chaldaeus Paraphrastes, ad quos prouocat, vulgarem interpretationem secuti sunt, inde nil aliud colligi potest, quam illos quoque tritam inter populares opinionem de Schechina ex hoc loco hausisse, aut, si mauis, confirmare studuisse. (Etsi ex nudo voc. ὀφθήσομαι nihilo plus effici, quam e simplici Hebr. אֵרָאֶה posse apparet, integramque hoc ipsum interpretandi varietatem relinqui.) Atqui nos contra illud Iudaeorum commentum pugnamus, quod sane non est recens, sed a longo inde tempore obtinuit, vt vel ab hac parte genti suae dignitatem conciliarent. *Violentam* dicit Cl. R. nostram interpretationem. Quodcunque scilicet opinioni semel admissae et semper defensae contrarium est, id facile contortum et violentum dici solet. Sed cuinam, quaeso, verbo vis illa adhibita

hibita eſt? An paſſiuae formae? Quam ſic adhiberi innumera loca docere poſſint, ſi opus ſit. Nonne enim idem eſt, *videbor*, et *homines me videbunt*? Vt cum Deus dicit אקדש *ſanctificabor*, idem eſt, ac ſi dicat: *homines me ſanctum eſſe agnoſcent*. Ergo non forma verbi ſpectanda eſt, ſed vis *videndi*. At voc. אראה hunc ſenſum pati: *aditum ad me dabo, adibunt me*, ex Exod. XXIII, 15. planiſſimum, qui locus eſt vere παράλληλος. Ridiculum autem, quod hic Cl. R. opponit, ſupplendum ſc. eſſe et in noſtro loco ריקם quod Exod. XXIII. additum eſt, et tum exiſtere ſenſum abſurdum. Recte ibi quidem. Sed ineptiſſimum eſſet, illud noſtro loco obtrudere, quod ad rem nullo modo pertinet. ראה in forma paſſiua de Deo vſurpatam ſemper inferre viſibilem aliquam ſpeciem comitantem, autumat. Quod oppido falſum eſſe vel hic ipſe locus Exod. XXIII. demonſtrat. Num enim ſacra facientibus viſibilis Dei ſpecies oblata eſt vnquam? In ſomnio forte. Quod affert e Geneſ. IX, 14. *et videbitur arcus*, neque hoc eſſe, dicit, poſſe: *aditum ad ſe dabit*, gryphes equis iungi, vt ipſe loquitur aliquo loco, apparet. Vbi enim ſemper ita interpretandum, nunquam *videndi* ſenſum habere, dictaui?

Verbum deinde עָנָן de *nube suffitus* non modo commode posse, sed debere adeo, exponi, e vers. 12. 13. eiusdem cap. est clarissimum, vbi עֲנַן הַקְּטֹרֶת plenius dicitur, omninoque ingrediendi adytum ratio plenius et accuratius praecipitur. Neque aut a legibus ferendis, aut a rebus narrandis, aut vaticiniis pronuntiandis alienum est, vt breuius dicta paullo post clarius exprimantur. Quid ergo contorti ac violenti in nostra interpretatione remanet? Nec in eo maior est difficultas, quod excitandus sit fumus ex suffitu *supra* propitiatorio, vel *iuxta* illud, vt Genes. XVIII. 2. אֲנָשִׁים נִצָּבִים עָלָיו *viri stabant iuxta eum*, et sic saepius; nam et hoc praecipitur diserte v. 13. vt scilicet res sacrae oculis Pontificis subducerentur. D. RAVIVS scribendum ad hanc sententiam fuisse ait: nubem, *quae sit* ad propitiatorium. Quid vero simplicius, quam omissum cognoscere voc. אשר quo tamen suppleto ne opus quidem est, cum verba, *iuxta propitiatorium* non minus commode iungantur voc. אֵרָאֶה nostro sensu: adibunt me, ad propitiatorium, cum nube.

Opponit tandem Cl. RAVIVS: *Ecquis vel supine ad rem attendens existimet, si is sit verborum sensus, quem*

quem Vir doctus iis affingit, Deum non clarius, non apertius, locutum fore, sed verbis usum, quae minimo minus scrupeo distabant aenigmate? dicendumne tum fuerat בענן הקטרת *in nube suffitus conspicuo: velut v. 13.* Hoc vero est in ordinem cogere scriptores sacros, et Spiritum S. ipsum, quomodo loqui debeant. Nonne sufficit, praeceptum v. 2. quod obscurum cuidam videri possit, in eodem capite paullo post v. 12. 13. verbis clarioribus repetitum esse atque explicatum? Quid amplius? Enimuero haec repetitio clarior eiusdem praecepti nobis quidem vel sola argumentum praestat firmissimum, versum 2. alio sensu, quam nos diximus, accipi nullo modo posse.

Addemus autem duo argumenta haud leuiora, quae interpretationem nostram aequo cuilibet iudici commendent. I. Si vulgari sensu capiatur locus ille: non intret omni tempore adytum Pontifex, neque arcae appropinquet, *quia in nube ibi conspiciendum me praebebo*, tum haec ratio nulla est, nec commodum sensum habet. Quomodo enim haec cohaerent: quia in nube videbor, propterea non cum lubet arcae appropinquet? Immo quia tantum in nube cernebatur, poterat quouis tempore

pore ad videndum accedere, ſicut olim populus quotidie in nube viderat. Neque etiam ratio illa addita ſufficit ad religionem intraturo iniiciendam. Num enim ſola nubes ſanctum illum locum poterat efficere, et ab aditu arcere ſacerdotem? Deus vero iam antea Moſi edixerat, Exod. XXV, 22. ſe habitaturum inter Cherubinos et oracula editurum ex iſto loco. Ergo ob ſolum hoc promiſſum Pontifex poterat ac debebat praeſentem ibi Deum opperiri, atque ita ſanctum iſtum locum habere, ne quouis tempore accedere temere auderet. Alioquin dicendum eſſet, Moſen et Aaronem, omnesque fideles V. T. nuſpiam praeſentem Deum ſtatuiſſe ſine externo ſymbolo, atque ob hanc leuitatem eorum vel pertinaciam nubis φαινόμενον fuiſſe neceſſarium: quod ſane in eos iniquum eſt et iniurium, vt ſupra diximus. Nonne et ipſa arca cum ἱλαστηρίῳ aſpectabile praeſentis Dei ſymbolum erat, ſufficiebatque ad religionem intraturo iniiciendam? E quibus efficitur, ſolum nubis ſymbolum non tantam adyto ſanctitatem conciliare, nec cauſſam vnicam eſſe diuini moniti: *ne introeat omni tempore*, cet.

II. Accedit aliud, quod rem planiſſime conficiat, et extra dubium ponat. Ex omnium ſcilicet

con-

confeſſione ab altero templo abfuit nubes illa commentitia, et tamen intemeratum manſit imperium Dei Leu. XVI, 2. ex eoque ſemper egit Pontifex in ſolemni obſecrationis die, *) quod contra, ceſſante primaria cauſſa, facile potuiſſet negligi. Non exigua vero difficultas, quae vulgari interpretationi obiicitur! vt intelligent omnes, qui animo ab opinionibus libero rem expenderint. Quod ſi autem locum ſic explices: *non quouis tempore, nec temere Pontifex adytum ingrediatur et arcam adeat, ſed curioſe praeparatus, magnaque cum religione, ita quidem, vt antea rebus ſacris thuris fumo caliginem inducat:* tum vero omnis difficultas cum nube euaneſcit, eſtque hoc praeceptum commune, ad cultum Leuiticum ſecundi etiam templi perdurans.

AD

*) Vnum PET. MOLINAEVM de hac re dubitantem in *Vate Lib. I. c.* 2. ſatis refutauit IO. GEORG. MICHAELIS in *Exercitat. Theologico - Philologicis Ex. III.* Neque opus erat longa refutatione, cum ex inſtituto diuino, cultusque Leuitici ratione, hic inprimis dies expiationis ad Chriſti ἀντιτύπῳ tempora eſſet celebrandus: confirmante Apoſtolo Ebr. VII, 27. atque etiam IOSEPHO *Ant. XVII*, 6.

AD §. III.

Non satis aduertit Cl. RAVIVS verum consilium meum, quod in afferendis his interpretationibus Rabbinorum sum secutus, quamquam diligenter indicaueram; ad multa igitur delabitur, de quibus parum laborandum mihi sit. Scilicet non tam volui Rabbinos in partes meas trahere, eorumque auctoritate vti ad refutandum de nube commentum; sciebam enim, illos ipsos Iudaeos, qui Leu. XVI, 2. de nube suffitus interpretarentur, tenere tamen communem de Schechina opinionem, si ABARBANELEM exceperis: sed hoc consilio iis vsus sum, vt demonstrarem, explicationem istius loci a me defensam nec esse nouam et inauditam, nec linguae genio contrariam, atque adeo contortam. Atque haec quidem Iudaeorum testimonia mihi fauere, dubitari nequit: et illud non minus, quod C. R. addidit e *Talm. Hierosol. Ioma fol. 39. col. 2.* vbi Karraeis haec dica scribitur a Rabbanitis, quod Leu. XVI, 2. de *nube suffitus* intelligant. ABEN ESRAE quidem et ABARBANELIS auctoritatem eripere mihi studet D. RAVIVS: frustra. Quae ex ABEN ESRA laudaui, male a me et VITRINGA intellecta caussatus, contendit, illi non sermonem esse h. l. de Leu. XVI, versu 2. sed de versu 13. In quo mire fallitur.

Posita

Poſita enim eſt haec ABEN ESRAE commentatio ad v. 2. ibique ad verba כי בענן. Quomodo ergo ad v. 13. trahatur? D. R. autem in noua huius commentarii verſione, quam dedit, illud כי בענן quod praepoſitum eſt, plane omiſit, vt lectores neſciant, quo trahendum ſit. Quod conſulto ab eo omiſſum ſit, an per incuriam neglectum, definire non auſim. Ceterum mihi iniuriam facit, cum dicit, me VITRINGAE de ABEN ESRA iudicium reticuiſſe, quod ita laudat: *Et certe Aben Eſra omnino ſic ſentit, quod in ſecundo hoc verſu Deus loquatur de nube, in qua ſuper propitiatorio communiter creditur habitaſſe.* Haec verba in VITRINGAE *Obſ. l. l.* reperire non potui; ſed ita ille: *Aben Eſra vtique nubem, de qua mentio eſt v. 2. intelligit de fumo nubis creando ex incenſo ſuffitu a Pontifice: licet alias non neget, ſuper arcam fuiſſe aliquod ſymbolum gloriae diuinae p. 171. ed. Franeq. a. 1712.* Vter ergo noſtrum verum VITRINGAE de ABEN ESRA iudicium indicauerit, vterue ſubticuerit, lectores iudicent. Quae opponit Cl. R. de ABARBANELE diſerte vulgarem inter ſuos interpretationem Leu. XVI, 2. refutante, non minus fruſtra dicta reperias. Cum ſcilicet ABARBANEL alio loco ad 1 Reg. VIII, 12. ſententiam popularium de Schechina comme-

 moret,

moret, per formulam ſolemnem: *aiunt ſapientes noſtri*, eandemque ſine refutatione dimittat; Cl. R. hoc eius ſilentium ita accipiendum cenſet, vt illam ſententiam iam ſuam faciat, et retractet ea, quae alibi contra eam pronuntiaſſet. Quod nullo modo exinde colligi poteſt. Quid opus erat noua refutatione, cum de eius mente iam aliunde conſtaret? Ita vero eſt in more poſitum Rabbinis, vt effata ſapientum ſaepe repetant, vbi occaſio ſeſe obtulerit: ſed non omnia ſua faciunt, quae laudant, cum ſaepe eiusmodi effata afferant, quae ſibi ſunt contraria.

Tandem Cl. R. malum cenſorem agit verſionum mearum, quas dedi Rabbinicorum locorum; in quibus pudenda quaedam peccata inueniſſe ſibi viſus eſt; quae vero nulla ſunt. Quodcunque ſcilicet reprehendendi libido quaerit, id facile ſolet reperire. In IARCHIO et ABARBANELE לפי שגלוי שכינתי שם verti vult RAVIVS ad verbum prope pueriliter: *eo quod manifeſtatio Schechinae meae ibi eſt:* ego verti vt homines latine ſcientes loquuntur: *quandoquidem Schechina, ſeu praeſentia mea, ibi declaratur;* et in altero loco: *quoniam ibi conſpicitur Schechina mea.* Inde colligit, me ſubſtantiuum גלוי habuiſſe pro participio Paul maſc. gen. et conſtru-

xiſſe

xiſſe male cum שכינה fem. gen. Quod quis non deridendum putet? Latine aliter non poterat exprimi ſubſtantiuum, quod in Hebraeo eſt. Similiter verſionem ABEN ESRAE non aliam ob cauſſam reprehendit, quam quod bene latine, non ad verbum, facta ſit. Quod ſi peccatum dicendum, quemadmodum alii permulti linguas e lexicis docti in verſione librorum ſacrorum exiſtimant; ego libenter ita peccauerim, aliis reliquens verbalem et accuratam ſuam, quam iactant, verſionem, quae barbara potius et obſcura dicenda, nec verae verſionis nomen poteſt habere. In ABARBANELIS loco illud הראיה' וכסה cet. *irato Ariſtarcho* (quaſi ipſi aliquid cum Ariſtarcho eſſet) me efferre ſtatuit; *et hoc probabile et verum eſt ex eo*, quod ſc. habetur v. 13. *et tegat nubes* cet. pro quo ſubſtituit: *argumento eius rei eſt illud: et tegat* cet. Videant ergo lectores, quantum interſit, aut quam iratus Ariſtarchus mihi fuerit!

AD §. IV.

Me nec cuiusdam interpretis vel Iudaei vel Chriſtiani auctoritate motum, hanc ſententiam defendere, nec cauſſae meae patrocinium ab ea petere, ſed ſolis argumentis e S. S. petitis confidere, ſaepe

 monui.

monui. Quod si VITRINGA serio retractauit ante scripta, reliquitque has partes a me defensas, mea parum interest, nec quicquam rei veritati, modo idoneis argumentis aliunde probata fuerit, decedere potest. *Magnum Vitringam humani aliquid passum esse, cum olim nubem super arca inter commenta Iudaeorum referret*, Cl. RAVIVS putat *p. 45. maturiore iudicio retractasse ea, quae feruore iuuentutis, aut studio nouitatis, aut vtroque, abreptus scripsisset p. 69.* Recte per me diuinarit, nec ne Cl. R. parum laboro. Si quid tamen coniecturis dandum est; multo magis ad verum accedere videtur, quod ego posui: *inuidia suorum motum fuisse Vitringam, vt pedem retraheret.* Cocceianorum enim cohors, quae primas eo tempore tenebat in Batauis, non sine magna indignatione videre poterat sibi ereptam caram nubem, de qua egregia hucusque commentati vel potius argutati fuissent. Iam si inter illos vel vnus aduersarius VITRINGAE extitit Cl. RAVIO similis, qui vulgarem opinionem tanto cum feruore, inter iurgia et conuicia, tueri anniteretur, id potuit sane in Viro pacis studioso hanc vim habere, vt in re leui abdicaret prius sententiam, quam censorum seueritatem et iniquitatem diutius irritaret. Sunt enim in talibus etiam rebus Theologi Bataui, vt

audi-

audimus, acerbiores, et non modo molestiam, sed etiam periculum facessere non dubitant iis, qui in talibus aliquid innouare coeperint. Nec tamen ita seriam fuisse VITRINGAE retractationem, vel illud argumento sit, quod non plane deleuit in *secunda editione Obseruatt. SS.* quae antea contra nubem illam Rabbinicam scripserat, sed non mutata omnino repetiit, propterea, *quod viris quibusdam literatis et veri studiosis non displicuissent.* Quodcunque hominibus *literatis* et, quod maxime eius sensum prodat, *veri studiosis* haud displicet, in eo sane non potest non multum boni ac veri inesse.

AD §. V.

Ex iis vero, quae hac §. dixi, expedire se aliter non tentauit D. R. quam prouocando iterum ad Leu. XVI, 2. tanquam ad locum classicum omniumque dubitationum ac difficultatum obicem: quod est, disputationem in orbem conuertere. *Sufficit*, inquit ille, *in hac quaestione historica nihil in contrarium afferri posse, quod locum classicum Leu. XVI, 2 et qui ei proxime succenturiatur, Exod. XL, 34. 35. coll. 1 Reg. VIII, 10. 11. et 2 Chron. V, 13. 14. aduersa fronte arietet aut euertat, ipsaque adeo loca Mosis D. Thalemanno h. §. laudata, ex nostro, quem prius*

dicebamus, non vice versa hunc ex illis, exponi atque intelligi debere, vt quae nubem in sancto sanctorum non disertis verbis praeferunt, neque adeo effugia Aduersarii nostri eiusque similium praecludunt. An sufficiat hoc absolutum decretum: *nil in contrarium afferri potest*, cet. lectores viderint. Me locum Leu. XVI, 2. ex aliis explicare, arguit Cl. RAVIVS. Immo per argumenta grammatica, ex ipso contexto petita, et historica maxime, vulgarem sensum euerti. Contra Cl. R. in eo vere peccat, vt ad vnum hunc locum, male intellectum, alia omnia explicet, immo contorqueat.

AD §. VI.

Quod dixi, vnam tantum nubem in sacris literis commemorari, eamque solam visam Israelitis, hinc magnae sane difficultates vulgari opinioni obiiciuntur: quas vt remoueat Cl. RAVIVS, in omnes partes se versans, ad tam inepta descendit, vt videas, commodam elabendi viam plane non dari. Duplicem primum nubem fingit, quarum altera in tecto tabernaculi, altera in adyto resederit. Postulo disertum facti testimonium. Nuspiam illud extat, nisi in ingenio interpretis. *Quid vetat*, inquit, *hanc in adyto diuersam fuisse ab altera?* Egregium vero argu-

argumentum pro rei veritate! Quid enim vetat, quo minus ſexcenta alia fieri potuerint? Nonne hoc eſt coniecturam alia fulcire? Etſi hic multa vetant. Nam ſi alia nubes erat in tabernaculo, alia in adyto; haec, vbi proficiſcendum eſſet, ſeſe abſcondere atque euaneſcere debebat, vbi rurſus tabernaculum poneretur, redire; cuius rei non magis extat teſtimonium. Quid ad illa D. RAVIVS? *Ad hoc*, inquit, *reſponſuri ſumus commode, cum abſolutiora plenioraque de modo atque omni ratione eorum, quae tum acta ſunt, nacti fuerimus commentaria.* Secare hoc eſt nodum, non ſcindere. *Ecquid tamen in eo abſurdi, ſi ſtatuamus, hoc in caſu Deum ſua potentia effeciſſe, vt nubes diſſoluta in auras euaneſceret, poſt vbi tabernaculum refigeretur, ſuo loco reſtituenda?* Tot res vt precario concedamus, impetrandum a nobis eſt, ſi admitti tam infirmam coniecturam placet.

AD §. VII.

Perſtat, quod mireris Cl. R. in ſententia, לפני יי eſſe *ante faciem* Dei, et *faciem* non niſi *nubem* eſſe poſſe, non refutatis tamen, quae ex conſuetudine loquendi Hebr. a me allata ſunt in contrarium. Illa vero refelli plane non poſſunt, quod vel mediocriter hebraice doctus intelligat: nec ipſe auſus eſt aut

tentauit refellere. Ceteris vindicandis non immorabimur, quae ad caussae caput nil faciunt, ne lectores defatigemus.

AD §. VIII. IX.

Frustra et haec disputata sunt apud Cl. RAVIVM, qui, quicquid contra dicatur, opinioni semel admissae pertinaciter inhaeret. *Sedere et equitare, vel vehi,* inquit, *cum de Deo dicuntur, sunt locutiones impropriae; sed quae sensu cassae et elumbes forent, nisi dicamus, super arca adfuisse rem externam et visibilem, suo loco circumscriptam nubem, quae ad arcam relationem habuerit, qualis inter sedentem et sedile, inter equitantem et equum. — Ecquis* θρόνον *super arca animo concipiat, nisi eadem opera diuinae praesentiae aliquod symbolum, nubem, superne inter Cheruborum alas ei incubantem, adfuisse existimet? — Itaque sedere vel habitare in loco Deus dicitur, cum ad tempus assumit aspectabile suae praesentiae signum, quale in re praesente est nubes, arcae imminens tanquam solio.* Haec omnia non aliunde sumuntur, quam ex ingenio, et tam sunt infirma, vt refutatione plane non indigeant. Quod de templo secundo ab Ezechiele delineato opposui et hic et §. XII. ita tentat declinare Cl. RAVIVS, vt dicat, nondum constare inter

interpretes, vtrum ſit templum ſecundum, an aliud coeleſte et myſticum intelligendum? Diſſenſum illum non curo; quam pauca enim ſunt, in quibus non diſſentiunt interpretes? Myſticum templum huc aduocare, eſt plane abſurdum atque ineptum.

AD §. X.

Delibauimus in hac §. quasdam difficultates ex rei natura petitas, de quibus deinceps tertio libelli capite diximus. Ergo et dubitationum illarum ſolutionem praeſtare geſtit hoc loco D. RAVIVS, ita quidem, vt quemadmodum ad §. VI. non tam ſoluat nodos, ſed ſcindat, quae eſt facillima ſeſe expediendi ratio. Ad I. difficultatem: quid factum ſit nubi, vbi in alium locum transferenda eſſet arca, num et hoc tempore eam comitata ſit et conſpecta a quocunque, de quo ſilent libri ſacri, neque eſt per ſe probabile: ita reſpondet: *Non eſſe, quod de eo quaeramus*, immo de eo quaeri poteſt ac debet; non enim vana eſt quaeſtio, quae magnam difficultatem attinet; *neque enim Deum vnquam fidem dediſſe, habitaturum ſe in nube illa ſuper arcam extra ſanctum ſanctorum aut alibi reſponſa daturum; ſed inter populum ſuum in loco ſacro id voluiſſe: non eſſe autem a*

vero

vero abſonum, reſtitiſſe nubem in ſede ſua ordinaria aedis Siſunticae, ſeptenos intra menſes cum arca reueniendam. In eo vero ſibi manifeſte repugnat; infra enim *p. 129.* diſerte ex Pſ. LXXVIII, 61. probare contendit, nubem etiam in caſtra Philiſtaeorum delatam, et per hanc ipſam, quae proprie *gloria* et *robur* Dei dicatur, in iſto loco et alibi, non vnum diuinae potentiae ſpecimen inter hoſtes eſſe editum. Quam male ſibi conſtat Cl. RAVIVS! Commenta ſcilicet et ſomnia ſibi nunquam recte conſtant. *Iniqua vero conditio*, pergit ille, *cum loqui conſtringimur tacente ſcriptura!* Conditionem vero multo iniquiorem, cum, tacente ſcriptura, quicquam nobis pro veriſſimo obtruditur! Ad II. cum exularet arca, tamen ſacra dici facta eſſe לפני יי ergo in iſto פנים nubem reſpici non poſſe; D. RAVIVS rem non tangit, ſed ſubterfugii cauſſa alio deuertit: *nil impedire, quominus ſacra, quamuis abſente arca, tamen legitimo modo facta eſſe dicantur.* Nec vero hic quaeritur, fuerint legitima ſacra, nec ne? ſed quo ſenſu facta eſſe dicantur לפני יהוה ſi in his verbis eſt argumentum pro nube in arca? Rurſus reſpondet aliena: Philiſtaeos non facile recepturos fuiſſe arcam, ſi nubem indiuulſum comitem, certiſſimum et terribile praeſentis Dei indicium, conſpexiſſent. Quam diffi-

difficultatem nullo modo ſoluit ex 1 Sam. IV, 6. vbi Philiſtaei ex iubilis Iſraelitarum ad aduentum arcae in caſtra ſua dicuntur intellexiſſe, Deum eorum aduentaſſe. Quid hoc ad noſtram quaeſtionem?

AD §. XI.

Simillimus profecto huic noſtro (e Pſ. XCIX, 6. 7.) eſt 1 Sam. XXI, 14. ſed et in hoc calumniatur Cl. R. vt nihil non reprehenſum dimittat, quamvis ſit clariſſimum atque veriſſimum. Quomodo vero? Afferendum eſſe, dicit, locum, vbi affixum pl. num. vt h. l. in אלהים referatur non ad omnia praecedentia ſubiecta, ſed vnum ex iis excipiat. In illo vero Samuelis eſſe in אביו affixum ſing. num. quod ſane ad ſolum patrem Saulis ſit trahendum. — De numero non quaeritur, ſed de forma loquendi, quae in vtroque loco eſt eadem. In hoc affixum plur. eſſe debebat, quia ad duo pertinet, ad Moſen et Aaronem.

AD §. XII.

Quemadmodum ſupra ad §. I. de dedicatione tabernaculi, ita neque et hic, vbi de dedicatione templi Salomonei agitur, aliter ſe expedire poteſt

Cl.

Cl. RAVIVS, quam vt ad vltimum ſententiae praeſidium recurrat, Leu. XVI, 2. quem locum reſpexiſſe Salomonem his verbis: *dixit Deus*, *ſe habitaturum in caligine*, plane ipſi non dubium eſt, quicquid contra dicatur.

AD §. XIII.

Largitur quidem Cl. RAVIVS, Ezechielis et reliqua a RELANDO et LVNDIO illuſtrandi magis et confirmandi, quod in quaeſtione ponebatur, quam probandi gratia allata eſſe: ipſe vero ſerio contendit, omnino maximam habere vim probandi; idque facit tanto molimine, vt et hic ſarcaſmos et conuicia ſat multa, argumentorum loco, fundat. Suo vero ſe telo ipſe petit, cum dicit, in viſionibus ſymbolicis prophetarum quaedam tantummodo, non omnia, habere ἀντίστοιχα in rerum natura, exemplo vſus viſionis Zachariae IV, 2. 3. cum lychnuchus aureus cum ſeptem lucernis, ſimulque duae oleae ipſi oſtenderentur. Lychnuchum in templo ἀντίστοιχον habere ait, oleas non item. Aliud exemplum affert ex Apocal. XXIII, 13. vbi Iohannes vidit Hieroſolyma cum ternis portis ad ſingulos mundi cardines. Has portas fruſtra quaeri apud auctores, qui vrbem Hieroſ. deſcripſerint, ipſe

ipſe fatetur: ſolam vrbem per ſe ſpectari, ſub cuius emblemate noua oeconomia adumbrata ſit. Omnia libenter accipio, ſed ita, vt contra D. RAVIVM conuertere audeam. Eodem modo ſcilicet etiam in oblata Ezechieli ſpecie arca quidem et Cherubini habent ſuum ἀντίϛοιχον, nubes non item, niſi hoc, vt deſignet praeſens in arca Numen, quod quidem in viſo prophet. non alio modo niſi aſpectabili ſymbolo exprimi poterat. Conſimile eſt illud, quod primo loco poſui, c. X, 15. 20. viſum ad aquas Chebar, vbi item ſuper Cherubinis gloria Dei conſpecta prophetae; ad quae Cl. R. veram hanc gloſſam ponit: *Quemadmodum Pſ. XVIII, 11. inter phaenomena ſuper Sinaim conſpecta habentur Cherubi, quibus Deus inſederat volitaueratque ſuper alas venti: ita vero in viſione illa ad aquas Chebar oculis mentis prophetae obuerſatae ſunt ſpecies Cheruborum; non eorum, qui arcae inſiſterent in adyto, ſed vt figura et emblema eſſent diuinae maieſtatis et omnipraeſentiae, caelum implentis terramque, ſtylo Hebraeis ſcriptoribus ſolemni.* Haec omnia recte ſeſe habent, meamque ſententiam non minus confirmant, quam ſi voluiſſet ἀπολογίαν meae cauſſae ſcribere D. RAVIVS. Sic et inuito interdum extorquetur verum. Cetera non moror.

AD §. XIV.

Pernegat Cl. R. χερουβὶμ δόξης aliter dici posse, nisi a nube inter eos residente. Cur? quoniam e Leu. XVI, 2. euictum sit, illam vere adfuisse. Sic vbique in orbem curritur. Aliam addit rationem: Cherubos mole exiguos non nisi exiliter praedicari posse κατασκιάζειν τὸ ἱλαστήριον, sed κατασκιασμὸν proprie fuisse a nube. Mirum figmentum! Quis ipsi reuelauit, fuisse Cherubos mole exiguos? Magna et praestanti forma haud dubie fuerunt efficti: ac si mediocris tantum eorum forma fuisset, quidni expansis alis et faciebus ad ἱλαστήριον demissis, vti describuntur in sacris literis, dici tamen possint illud obumbrare. Non minori iure, quam riuum aut flumen inumbrare dicitur arbor, quae vix primum marginem tegat. Ridiculus sit, qui hoc pertinaciter neget. Scrupulus alius a me ipsi iniectus: Apostolum, qui omnia commemoret Ebr. IX, 15. quae fuerint in adyto, nubem tamen omittere, nec vno verbo attingere, aut eius suspicionem leuem mouere. Quid ille? *Vel noluit Apostolus actum agere, postquam δόξαν, vt vidimus, Cherubis adiunxerat, quam γνώρισμα nubis euicimus* — infausto vero Marte euictum! *effinximus* dicere debebat — *vel nubem delite-*

delitescere voluit inter ea, de quibus sigillatim deditaque opera non acturum se mox inde palam profitetur. Nubem voluit delitescere, primarium ex mente RAVII et sequacium adyti decus, praesentiaeque diuinae symbolum eximium! Hoc non est, caussam suam agere, sed pessumdare.

AD §. XV.

Interpretationem δόξης, vt sit *propria Israelitis gloria prae reliquis gentibus*, quae nec noua nec mea est, sed optimorum interpretum, ita eludere voluit Cl. RAVIVS, vt diceret: me inter καυχήματα Israelitarum referre καύχημα. Satis argute, modo sit vere! Inter καυχήματα Israelitarum refertur honos iis a Deo habitus, vt essent Dei peculium, prae omnibus gentibus Deo adamati, cet. Ita omnes rem intelligent, qui eam non consulto cauillandique studio voluerint ignorare. Pertinaciter vero et h. l. defendit δόξαν esse nubem, duplicem quidem, quam fingit, vt supra vidimus; quarum altera populum praeiret in solitudine, altera in sacrario resideret. Repugnare, dixi, consuetudinem loquendi, cum nunquam כבוד m de de *arca* vel *nube* ponatur. Ad haec ille: *Romaios, ad quos scriberet Apostolus, si non ex Hebraeo fonte,*

attamen ex Graeca versione, non potuisse latere vsum istius vocis absolute positae — At de hoc ipso quaeritur: num esset vnquam in sacris libris absolute posita? — *In singulis Israelitarum priuilegiis diuinum nomen commode subaudiri, vt sit* νομοθεσία Κυρίȣ, δόξα Κυρίȣ; *Apostolum autem resecuisse ista, vitandae asperitatis caussa, et quia hilum addere superuacuum esset.* Quid inde? Νομοθεσία non requirit additamentum illud, sed δόξα, si quidem alio sensu posita est. Ac si vel maxime sit δόξα Θεȣ̃, quo tamen sensu accipienda sit, integra quaestio restat. Taedet reliqua non minus insulsa refutare, quae per se concidunt.

AD §. XVI.

Quod vidimus hucusque Cl. RAVIVM omnia tentando, vt caussam suam tueatur, verba librorum sacrorum mirum in modum torquere, et ad quaeuis ἀσύστατα καὶ ἄπιστα confugere; id vero multo magis fecit in altera dissertationis parte, in qua PHILONIS et IOSEPHI auctoritate ad confirmandam sententiam nostram vsi sumus. Hic enim ad tam inepta prolabitur, vt sane mirer, Viro alias doctissimo talia excidere potuisse. Eo scilicet abripere hominem potest feruor disputandi, atque opinio-

opinionis ſemel adamatae propugnandi ſtudium, vt ampleƈtatur prius ineptiſſima, quam aduerſario vel tantillum concedat. Vt vim argumenti, e ſilentio PHILONIS et IOSEPHI petiti infringat D. RAVIVS, repetit primum cantilenam vulgarem, quae fidem iſtorum hominum, IOSEPHI inprimis, ſugillat. *In antiqua hunc*, ait, *ſuae gentis hiſtoria omiſiſſe multa per incuriam, vel corrupiſſe, vel interpolaſſe, ſubinde etiam nugas egiſſe vitio gentis ſuae ac ac ſeculi. Extra hos caſus, in aeui ſui hiſtoria, fidem eius et auƈtoritatem in tuto eſſe.* Non hic repetam, quam lubricum et iniquum ſit, de fide IOSEPHI, diligentiſſimi ſcriptoris, ita in vniuerſum pronunciare, cum in Diſputatione adieƈta ſigillatim hoc argumentum traƈtauerim. Illud admonere iam attinet, fruſtra mihi opponi, IOSEPHVM in antiqua hiſtoria interdum falſum eſſe, quod non negauerim: quaeritur enim, num in hac vtique re, de qua agitur, falſus vere ſit, et eſſe potuerit? Vana ſunt ſemper in vtramque partem eiusmodi decreta abſoluta de fide ſcriptorum, quae ſi valerent, facillima ſane eſſet ex quacunque difficultate hiſtorica ſe expediendi via. — Dixit aliquid fide dignus ſcriptor; ergo non poteſt non eſſe verum: aliud a ſcriptore interdum falſo prolatum; ergo

neque hoc non poteſt non eſſe ſalſum. * Quis talia ferat? Atqui haec ipſa eſt Cl. RAVIO argumentandi ratio, in qua quidem plures habet ſui ſimiles, quos hic nominare nil attinet.

Negat porro, PHILONEM et IOSEPHVM optime ſcire potuiſſe, vtrum vere fuerit in arca nubes, nec ne? *Sat enim longo tempore diſiunctos eſſe ab ea aetate, qua in templo habitauerit.* Ita ſua ipſe vineta caedit. Rabbini enim, quorum tanta eſt apud eum auctoritas, multo maiori temporis interuallo ab ea aetate ſeiuncti ad teſtimonium in hac re dicendum admitti multo minus poſſunt.

Tandem grauem hanc dicam PHILONI IOSEPHOque ſcribit: *Deinde vero, quod caput rei eſt, neuter eorum tantum Hebraice callebat, vt ipſos hiſtoriarum fontes, ipſum Moſen, ceterosque auctores, quos in ſacris habemus, adeundi et conſulendi plena iis eſſet poteſtas: ſed ſapiebant ſolum e verſionibus Graecis, quales tum extabant.* Repetit idem *p. 147. 149.* Falſiſſimum vero crimen, cuius doctum hominem pudeat! Diximus de hoc quoque in Diſſertatione adiecta. Et tamen, ſi e verſionibus ſapiebant, arripuiſſe vulga-

tam

tam de nube sententiam tanto magis debebant.

AD §. XVII. XVIII.

Negare non potest Cl. RAVIVS, Iosephum nubem super arca nuspiam attingere; quaerit igitur: suane culpa id fecerit, an aliena? Neque aliam tandem probabilem rationem potest afferre, quam quod de sententia loci Leu. XVI, 2. iam tum disceptatum sit ipsos inter Iudaeos legum peritos: *Mosesne de nube gloriosa scribat, an de alia ex suffitu?* quemadmodum inter recentiores Rabbanitas et Karraitas ea de re fuerit disceptatio, de qua supra ad §. III. dictum est. Non ergo mirum esse, si IOSEPHVS in corruptam et minus tutam istius loci versionem inciderit. — Rursus ignorantia IOSEPHI in Hebraicis praetenditur, quod merum est commentum, quemadmodum et reliqua sine vlla veri specie efficta refutatione non egent. Nisi hoc velimus monere: si iam tum inter ipsos Hebraeos in Palaestina dubitatio fuit, quod tamen doceri non potest; cur accusatur IOSEPHVS inscitiae aut fraudis ex versione? et ille poterat sic statuere sine vlla versione. En vero nouam et vere ridiculam mei censuram, quae non nisi ab eo proficisci possit, qui

vndique carpendi materiem anquirat. In eo me reprehendit grauiter, quod verba IOSEPHI graece tantum, non addita versione latina, laudauerim, quam quidem ille subiicit, *veri rectique conscientiam* obtendens; quasi ego, nil praeter ipsissima verba auctoris afferendo, mala fide egerim. Supra cum testimonia Rabbinica latine reddebam, me per has versiones sententiae meae inseruire velle clamabat. Quomodo igitur, cum neutrum placeat, ipsi satisfaciendum fuerit, plane non video. Quid? ipse cum latina tantum ponit, e textu ipso iudicandi facultatem eripuisse lectoribus, sua obtrusa interpretatione, si quis criminetur? Meum hoc non facio: ex ipsius quidem ratione valebit.

Quid vero ad illa IOSEPHI? *Nihil omnino in iis deesse*, dicit, *quam disertam commemorationem nubis super arca ex Leu. XVI*, 2. Belle! quoniam eam ignorabat Iosephus, non poterat sane commemorare. Per totum templum in dedicatione diffusam esse nubem, dicit IOSEPHVS, atque hoc argumentum fuisse omnibus, Deum descendisse in illud templum, in eoque perpetuum domicilium posuisse. Ita ipse Moses et Scriptor Librorum Regum. Sed in sacrarium concessisse nubes, ibique sedem

ſedem fixiſſe, non dicitur. Reſpondet V. C. *Id vero tam vniuerſali conſenſu a Iudaeis creditum, vt monere quicquam de eo ſuperuacuum et Ioſepho et Philoni viſum fuerit.* Ita rurſus diſputatio in orbem ducitur, idque pro certo ponitur, quod eſt in quaeſtione. In eo vero nouam inconſtantiam prodit: qui antea cum dixiſſet, IOSEPHVM, nimis longo interuallo ab iſta aetate remotum, non eſſe fide dignum eius rei teſtem, iam ponit, eo tempore opinionem iſtam de nube omnibus indubiam haeſiſſe. Quae ſane nullo modo inter ſe conueniunt.

AD §. XIX.

Et PHILONIS teſtimonia ita torquent D. RAVIVM, vt, quo ſe vertat, neſciat, et ſaepe diſcurrat in contraria. In cauſſis, quare ſiluerit PHILO nubem, modo ponit ignorantiam hebraiſmi, plane ἀναλφάβητον in hebraicis eum habens, *p. 147.* mox verſiones ad Samaritanum codicem interpolatas et corruptas, a quibus ſolis cum IOSEPHO pependerit: ſuſpicionem vero non leuem eſſe, locum claſſicum Leu. XVI, 2. adulteram manum eſſe expertum, cum Iudaei nube iſta tanquam Palladio ad Samaritanorum inuidiam gloriarentur.

At tum non amplius erat? quomodo gloriari poterant? Sane hoc eſt, commentum nouis commentis confirmare. Nunc eo delabitur, vt dicat, PHILONEM eſſe ſecutum ſyllabum Moſis Exod. XXVI. XXVII. quo tabernaculum deſcripſit cum arca ceterisque vaſis ſacris, *a Bezalaele artifice fabricandis.* In horum autem cenſum non veniſſe nubem. — Argute, ſed non minus inepte! Plura enim, quam quae a Bezalaele poſſent effingi, commemorat PHILO, diſerte praeſentiae Dei inter Cherubos mentione facta, ita tamen, vt in *aſpectabilem ſpeciem* cadere neget. Quid vero ad hoc Cl. RAVIVS? Hic enim nodus eſt. Vel ſapientiorem ſibi viſum PHILONEM Moſe, dicit, qui Deut. IV, 15. in monte Horeb Deum ſecum per ignem locutum affirmet; — quaſi vero de illo hic eſſet quaeſtio: num Deus vnquam ſymbolo externo ſe praeſentem declaraſſet; — vel veritum eſſe PHILONEM gentium et maxime Aegyptiorum in ſe maioresque ſuos calumniam, de qua Iuuenalis:

Nil praeter nubes et coeli numen adorant;

quaſi non hic coeli nubes intelligi pateat; — vel denique imprudentia eadem, qua IOSEPHVS, denunciationem Aaroni Leu. XVI. factam neglexiſſe. —

His

His tam vanis coniecturis ne sibi ipsi quidem satisfacit D. RAVIVS: subiungit ergo: *quamquam si dicendum, quod res est, neuter locus Philonis huic rei sat opportunus fuit.* Immo quam maxime opportunum esse illum e libro *de Profugis*, quis non videat? Hoc ipsum, quod mireris, paullo post confitetur V. C. superiora retractans: *E dictis*, inquit, *efficitur*, SI A SECVNDO LOCO PHILONIS DISCEDIMVS, (e libro de Profug.) *nullum ex illo auctore afferre Nostrum, in quo nubis in adyto mentionem commode ac opportune iniicere potuerit, debuerit.* Post longam igitur disputationem, in qua huc et illuc vagatus, coniecturas et *ἀντίῤῥητα* miscuit, inuitus tandem concedit, quod volo, nec negari vllo modo potest. Quorsum igitur tot verba! tot ambages!

AD §. XX.

Difficultatibus vltimo loco ex rei natura motis nil denuo opponit Cl. RAVIVS, ad ea, quae ad §. X. de quibusdam ex illis disputata sunt, nos amandans. Sed plura sane hic supersunt, ab aduersario refutanda, quod optarem factum eodem

ordine, eadem breuitate, qua ego vſus ſum. Cur vero ſecus viſum fuerit V. D. lectores iudicent, quibus integrum in tota hac cauſſa iudicium relinquatur.

III

DE

PHILONIS ET IOSEPHI

AVCTORITATE

IN HISTORIA RITVVM

SACRORVM

Quod in omni genere opinionum temere receptarum fieri solet, vt vel in clarissima luce velut caliginem offundant, nec veritatem ante oculos positam cerni sinant, id etiam in peruulgato nimis errore accidisse deprehendimus eorum, qui Iudaeorum magistris recentioribus, in rituum sacrorum explicatione, non modo parem, sed multo maiorem fidem, quam scriptoribus aequalibus, PHILONI et IOSEPHO, tribuant. Ego vero iam dudum versabam animo, quae priuatim in circulis commilitonum contra hanc pudendam multorum leuitatem, immo libidinem, saepius disputassem, ea publica commentatione edisserere; opportunum modo tempus locumque expectabam. Quem cum mihi huius libelli edendi consilium per argumenti tractati coniunctionem praebuisset; nolui hanc opportunitatem dimittere, meam, de male aestimata fide scriptorum istorum, sententiam paullo copiosius ac diligentius explicandi. In quo instituto non sane docto-

doctorum hominum, qui mea admonitione non egent, ſed iuuenum potius ſacrarum literarum ſtudia aemulantium rationem habui, ne prauis opinionibus a lectione optimorum ſcriptorum abſterrerentur, quibus, in cognoſcenda rerum ſacrarum antiquitate, proximus a libris diuinis locus concedendus videretur.

Cum in praefatione Diſputationis ſuperioris de nimia facilitate Chriſtianorum interpretum, in amplectendis Rabbinorūm edictis, quaedam delibarem, illius leuitatis hanc cauſſam poſui, quod harum rerum cognitio fere peteretur ab iis, qui olim his ſolis vſi eſſent magiſtris in addiſcendis literis hebraicis, ex eorumque auctoritate toti pendere conſueſſent. Quod enim vſu fere diſcipulis venit, vt magiſtros, a quibus multa bona didiciſſe ſe agnoſcant, in ceteris coeco aſſenſu ſequantur, in eorumque verba iurent, nullo iudicio ſuo, nulloque delectu adhibito; id in Rabbinicis quoque ſcholis factum eſſe, mirum videri nemini debet. Sed hunc ἰουδαϊσμὸν, vt ita appellem, apud eos maxime deprehendas, qui in tractandis Hebraeorum monumentis non modo ex ore pendent Iudaici magiſtri, ſed etiam literis graecis latiniſque aut omnino non, aut

leui-

leuiter imbuti, elegantiorisque doctrinae expertes, ad hoc genus rerum eleganter tractandum et iudicandum, ingenium praeparatum non attulerunt; quod genus hominum a LVTHERO, MELANCHTHONE, FLACIO ILLYRICO, BVCERO aliisque viris subacti per elegantem doctrinam iudicii, et e magna ineptiarum Iudaicarum farragine optima tantum, spretis reliquis, iusta cum cura et diligentia seligere solitis, saepe cum magistris suis est reprehensum. LVTHERVS quidem quid de magistris istis senserit, multis, e doctissimi inprimis Commentarii in Genesin, aliorumque similium librorum, locis perspicuum est.

Sed in illo genere hominum et principes fuere ipsi BVXTORFII, et auctores reliquis, qui se ad earum rerum studium contulissent. Nam cum illi in hac parte doctrinae ita regnarent, vt nihil iis perfectius putaretur, plerique eorum auctoritatem secuti, Rabbinorum opinionibus incautius sese permisere, ex eorumque scriptis tamquam ex oraculis omnia hausere, tanta quidem cum fiducia, quasi ea nemo melius tradidisset, neque vero tradere potuisset. Ipsa scripta BVXTORFIANA cum auide a plerisque legerentur, et confidenter vbique laudaren-

tur

tur et compilarentur; si quis vellet excellere in hoc genere, nihil aliud agebat, quam vt e Rabbinico illo fundo plura depromeret, et ad rerum sacrarum explicationem traheret; longe valere iussis aliis auctoribus et doctrinae melioris praesidiis.

Non mirum igitur, si optimos iidem de rebus Iudaicis scriptores, PHILONEM et IOSEPHVM, plane non attigerunt, e quibus meliora et certiora rituum inprimis sacrorum documenta haurirent. Ad hos enim auctores graece doctissimos et elegantissimos recte legendos, nisi probe subactus scientia graecarum literarum accedere nemo potest, aut iustum iis pretium statuere; vt cetera praesidia taceam, veri hebraismi (non illo e Rabbinis, sed fontibus melioribus, analogia linguarum Orientalium, interpretibusque inprimis V. T. antiquis, hausto) et historiae sacrae et profanae haud vulgarem cognitionem, sine qua nemo IOSEPHVM et PHILONEM recte intelligat, aut eorum amore et studio capiatur. Exinde vero primariam caussam neglecti a permultis recentiori aetate, quin contemti, PHILONIS ac IOSEPHI repetendam arbitror. Nam vt largiar, post BARONIVM, SALIANVM, et alios externos, e nostris quoque non paucos de IOSEPHO inique sensisse,

fisse, eumque vt nugacissimum scriptorem risisse propterea, quod in antiquioris historiae hebraeae partibus aberrare subinde a libris sacris videretur; PHILONI autem ἀλληγορημάτων nimium studium inuidiosum fuisse: non tamen has solas esse caussas vulgaris contemtus, persuasissimum mihi habeo, sed illam superiorem caussam longe plus valuisse. Dolendam vero sortem optimorum scriptorum, qui tam iniquos, etiam imperitos, censores nacti, e multorum manibus, iuuenum inprimis sacra studia colentium, excutiantur!

Quamuis autem nunquam defuerint, neque hodie, post SCALIGEROS, CASAVBONOS similesque, desint viri doctissimi, qui rectius de PHILONE et IOSEPHO sentiant, iustumque vtrique pretium statuant; inter illos ipsos tamen non paucos reperias, qui, sui iudicii parum memores aut tenaces, in indagandis maxime explicandisque ritibus sacris saepe, quo se vertant, dubii, nunc PHILONI et IOSEPHO, nunc recentioribus Iudaeis maiorem fidem tribuant. Cuius inconstantiae si omnia exempla congerere velim, quae vel mihi innotuerint, voluminis iusti modum impleant: sed quaedam speciminis loco attulisse sufficiat.

Primum inter haec occurrit exemplum Cl. RAVII, qui ſane fidem ſcriptorum de rebus Iudaicis antiquorum et recentiorum recte aeſtimat. *Caute et circumſpecte*, inquit, in Praef. libelli mihi oppoſiti, *aures ſubſtringi decet Iudaeorum citerioris aeui cantilenis, ſi quando de rebus ritibusue maiorum ſuorum perſcribunt, quae tum internis domeſticisque laborant incommodis ac difficultatibus, ex auitae linguae ignorantia profectis, tum vero antiquiorum in gente ſua auctorum, Philonis et Ioſephi, nec non Verſionum Pentateuchi, quae primae omnium in lucem prodierunt, fide ac ſuffragio deſtituuntur.* In Diſſertatione autem, quam adiecit, *de Libamine facto in Sacra Menſa*, grauiter ſaepius reprehendit interpretes Chriſtianos, *quod, neglectis melioribus praeſidiis, Iudaeorum recentiorum nugas amplecterentur, qui diuinae legis ſenſum minus aſſecuti traditionibus ſuis in diuerſum abeant, maioribusque, teſtibus oculatis, in os contradicant — quorum crebrae de antiquis ritibus ac caerimoniis altercationes et controuerſiae in collectione Miſchnica frequentatae, locupletes haeſitationis teſtes ſint p. 159. 168. 174. 189.* et in tota hac diſputatione PHILONIS et IOSEPHI teſtimonio feliciter vſus, recte tandem pronuntiat: *nos, ſi absque aliis Iudaeorum gentis ſcriptoribus eſſemus, Philone, Ioſepho, et Pentateuchi*

antiqui

antiqui interpretibus, in magna verſaturos eſſe plurimarum rerum, quae ad caerimonias illarum publicas attinent, ignorantia. At idem Cl. RAVIVS contra meam cauſſam diſputans, in alia omnia concedit, nimium confiſus Rabbinorum commentis de nube ſuper arca, quae non ſecus ac Sibyllina folia colligit; IOSEPHI contra de illa ſilentio, PHILONISque diſerto in contrariam partem teſtimonio ita ſpreto, vt potiora ducere Iudaeorum recentiorum oracula videatur. In qua quidem inconſtantia permultos habet ſui ſimiles, nominatim Cel. IO. GOTTL. CARPZOVIVM *in Apparatu Antiquitatum S. Cod. et Gentis Hebraeae*, opere eruditiſſimo atque laudatiſſimo. Is enim Vir doctiſſimus, quamquam optime ſubinde defendit auctoritatem PHILONIS et IOSEPHI, eamque anteponit Iudaeorum magiſtris e recentiori aetate: aliis tamen locis, ſui immemor, ad diuerſa labitur; quod non in ignominiam Viri optimi dictum velim, cuius merita bene nouerim, et, quanti par ſit, aeſtimem.

Baptiſmum quidem Proſelytorum recte vt commentum Rabbinorum repudiat, *quoniam nullum eius ſit veſtigium in Philone et Ioſepho, aliisque id genus commentariis antiquis, qui omnes ritum tam ſolemnem*

certe non tacuissent, cum in minoris ponderis caerimoniis describendis mirum quantum fuerint curiosi p. 48. Valet rursus apud illum vtriusque testimonium, contra BRAVNIVM, in tunica et bractea aurea Pontificis, spretis Rabbinis, *ex ingenio nugantibus*, vt ipse ait *p. 73. 85.* Potu quolibet caput tentante Naziraeis interdictum, PHILONIS auctoritate contra MAIMONIDEM defenditur *p. 153.* Eiusdem PHILONIS auctoritate nititur, Proseuchas Iudaeorum a Synagogis non differre, eodemque loco esse habendas, probaturus *p. 320.* De altari thymiamatis agens IOSEPHI fide recte vtitur, tamquam *testis oculati*, ita enim vocat, ad refellenda recentiorum commenta, *p. 272.* Eundem de decima pauperum tuto sequitur *p. 621.* — Quid vero idem aliis in locis? Labri aenei a IOSEPHO datam descriptionem repudiat, *vix tuta*, inquit, *ipsi fides constat*, *p. 288.* Oraculum Vrim et Thummim templo posteriori plane defuisse, defendit contra IOSEPHVM, *quicquid oggamiat ille:* his verbis vtitur, *p. 301.* Nec maiorem illi fidem habet anno Iubilaeo obaeratos a mutuo liberatos commemoranti *Ant. III, 12. hallucinatum esse in multis, et hinc ex oscitantia, hinc ex malitia praeter scripturae fidem nonnulla scripsisse*, arguens, allata R. SIMONII obseruatio-

uatione *ex Hist. Crit. V. T. T. I, p. 157.* eadem vitia IOSEPHO exprobrantis. Quod si vel maxime concedamus tantisper, IOSEPHVM *nonnulla* oscitanter et malitiose contra scripturae fidem in historicis tradidisse, de quo deinde videbimus; non hoc tamen suffecerit ad omnem ipsi in quolibet genere rerum traditarum fidem abrogandam. Immo, hic vel illic vere peccasse, demonstrandum erat argumentis idoneis.

Plura ex hoc auctore aliisque afferre possim eiusmodi inconstantiae exempla, quae ostendant, incertum plane apud multos esse de scriptoribus Iudaicis antiquioris et recentioris aeui iudicium, incertumque adeo et vanum eorum vsum. Equidem hac inprimis caussa motus ad suscipiendam hanc opellam animum appuli, vt demonstrarem, fidem PHILONIS et IOSEPHI, in ritibus Iudaicis, recentioris eiusdem gentis scriptoribus omnibus longe maiorem merito habendam esse; quod deinde exemplis quibusdam confirmabo. In illo autem instituto non hoc mihi sumo, vt perdifficilem de fide Iudaicorum scriptorum quaestionem ad liquidum omnino perducere velim ac possim; cum nec doctrinae, si qua est in me, tenuitas, nec libelli huius angustiae

 tan-

tantam argumenti grauitatem ſuſtineant: id vnum ago, vt, ſi poſſim, ſtudium doctiorum ad hanc rem curatius excutiendam conuertam; qui ſi meliora et certiora tradiderint, omnes ſacrarum literarum ſtudioſos, meque ipſum, vehementer ſibi obſtrictos habebunt.

In fide ſcriptorum hiſtorica aeſtimanda duo inprimis ſpectanda eſſe, viri harum rerum intelligentiſſimi praeceperunt: primum, *an fontibus idoneis et ſatis certis auctoribus vſi eſſent, vel, quod maximum eſt, ipſarum rerum, quas traderent, ſpectatores affuiſſent, vt adeo verum neceſſario ſcirent, nec poſſent ignorare:* deinde, *eone fuiſſent ingenio, eoque animo, vt curioſe ſatis et diligenter verum tradere vellent, nullasque cauſſas falſi, graues autem veri tradendi haberent.* Vtrumque vero in PHILONEM et IOSEPHVM, quod quidem hiſtoriam rituum ſacrorum attineat, multo magis cadere, quam in recentiores Iudaeorum magiſtros, eoque nomine, niſi vnicam, multo tamen maiorem in his rebus fidem mereri, intelligi facile poteſt. Ambo ſcilicet cum ſtante etiam nunc templo viuerent, ortique eſſent e ſacerdotali familia, *cultus publici rationem neceſſario tenebant, nec poterant ignorare.* IOSEPHVM quidem, vt in

Iudaea

Iudaea natum et Hierosolymis degentem, nemini dubium fuit, cultus publici fuisse perpetuum spectatorem et interdum etiam administrum: at PHILONEM fuerunt qui auctorem harum rerum minus idoneum haberent propterea, quod Alexandriae viuens, longeque adeo remotus a ministerio Leuitico, veram eius rationem non potuerit indagare. BONFRERIVS *ad Leuit. XXI, 14.* PHILONEM pronuntiat *rituum templi plane ignarum*, quem sequitur C. L. SCHLICHTERVS *de Panibus Fac. P. I. p. 50.* negans, fuisse *αὐτόπτην*, atque adeo fide dignum testem; vt alios mittam. In quo quidem illi mire falluntur, pudendamque leuitatem produnt. Nam, vt PHILO non fuerit testis earum rerum *αὐτόπτης*, num propterea nulla omnino fide dignus censendus sit, qui stante adhuc templo vixerit, e sacerdotali genere ortus esset, et legis doctrinam studiose atque erudite tractasset? Enimuero, quomodo non *αὐτόπτης* fuerit, cui per natales ipsos fungi sacris liceret, qui de religioso more Iudaeorum, etiam Alexandrinorum, anno quoque semel saltem Hierosolymis ad sacra communia praesto fuit; cuius rei ipsum habemus disertum testem, *καθ᾽ ὃν χρόνον*, inquit, *εἰς τὸ πατρῷον ἱερὸν ἐστελλόμην εὐξόμενός τε καὶ θύσων*, *in Libro περὶ προνοίας*, qui integer fere

extat in edit. MANGEI, *T. II. p. 646.* Pauca quidem sunt PHILONIS commentaria de ritibus sacris, quippe qui de iis non singulis ex instituto scribat, sed quaedam tantum, vt occasio se obtulerat, attingat: non illa tamen contemnenda interpreti S. S. cum multis locis magnam lucem recte vtenti possint praebere: quorum exempla aliquot infra ponemus. Sed non Iudaicorum modo rituum peritum fuisse, sed ἀκριβεστέρα quoque Pharisaeorum disciplina imbutum, vel ea satis doceant, quae de Melchisedeco, de ciuitate Patriarcharum caelesti cet. aeque vt a Paullo ad Hebraeos, a Philone disputata commemorauimus in Disp. *de Eruditione Paulli Ap. Iudaica, non Graeca.* Amplius autem multo de his rebus differentem habemus IOSEPHVM, quamuis nec ipse rituum sacrorum historiam in vnum corpus congesserit, aut perpetuo ordine tradiderit, sed per integrum opus Antiquitatum Iudaicarum, et per Libros de Bello Iudaico, opportune sparserit, vnde colligi a lectore in suasque classes digeri possunt.

Cum vero vterque non eas modo caerimonias tradant, quas ipsi in sacris obeundis sua aetate viderint, sed ex antiquioribus etiam permultas stante taber-

tabernaculo et templo Salomoneo solemnes: quaeritur, vnde illarum historiam hauserint? De IOSEPHO quidem, qui plurima eius generis habet, confecta res est, cum diserte testetur ipse, se omnia hausisse ἐκ τῶν Ἑβραϊκῶν γραμμάτων, ἐκ τῶν ἱερῶν βίβλων, *Prooem. Ant. Iud.* 2. 3. Iterum commemorat ἀρχαῖα βιβλία, Ἑβραίων βίβλους, quos solos se secutum affirmat, *Ant. X,* 10. 6. Sed noua hic quaestio exoritur: quinam sint hi *sacri* et *hebraici libri?* illine soli, quos et nos habemus, libri V. T. θεόπνευστοι et Canonici, an praeter hos et alii? Cui quaestioni optime, vt solet, magno cum doctrinae apparatu, satisfecit Auunculus Optimus, S. V. ERNESTI, *in Exercitatione Flauiana I. de Fontibus Archaeologiae §. XIV. cet.* Permulta scilicet cum habeat IOSEPHVS et in rituum sacrorum historia, et in ceteris, quorum nihil sit in nostris libris Canonicis: ea quin ex aliis depromserit monumentis tum notis, communemque fidem meritis, dubitari nequit. Θεοπνεύστους vero fuisse, etsi diuersos a Canonicis, vt quibusdam placet, non credibile est S. V. ERNESTI ex eiusdem IOSEPHI testimonio, qui diserte hos modo nostros Canonicos XXII. recte *diuinos* credi tradit, *contra Apionem I,* 8. Libri haud dubie tum extitere satis antiqui, quales sunt,

quos nos Apocryphos V. T. vocamus, quorum quidem, ſi non par diuinis, at magna ſatis vigeret apud omnes auctoritas, ita quidem, vt IOSEPHVS in conſcribenda gentis ſuae hiſtoria, praeter θεοπνέυςες, et hos recte adhibendos, nec ſine vitio negligendos, putaret.

Εβραϊκὰ βιβλία cum IOSEPHVS appellet monumenta, quibus vſus ſit: vel inde refellitur RAVII aliorumque permultorum opinio, IOSEPHVM linguae Hebraicae plane rudem exiſtimantium; cuius ignorantiae crimen cum multo magis PHILONI Alexandrino impingant: pauca hic contra vulgarem iſtum errorem videntur monenda. Et in IOSEPHO quidem tanto minus condonanda criminatio eiusmodi viris doctis videtur, quo clarius per ſe patet, eum ab hebraicis literis alienum eſſe nullo modo potuiſſe. Iudaeum enim in Palaeſtina natum, e familia ſacerdotali oriundum, ἀκριβεςέρας αἱρέσεως Phariſaicae diſcipulum, doctum adeo hominem, e Iudaica quoque formula, quis credat hebraica ignoraſſe? cum eruditio Iudaica ex ipſius teſtimonio in ſacrarum literarum interpretatione et intelligentia verſaretur: παρ᾽ ἡμῖν, inquit, μόνοις σοφίαν μαρτυρȣ̃σι τοῖς τὰ νόμιμα σαφῶς ἐπιςαμένοις, καὶ τὴν

ἱερῶν

ἱερῶν γραμμάτων δύναμιν ἑρμηνεῦσαι δυναμένοις *Ant. XX, n. 2.* In *Vitae* autem *suae narratione n. 2.* se dicit iam quatuordecennem ita prouectum fuisse in sacrarum studio literarum, vt a Pontificibus vrbisque primoribus de recondito legum sensu consuleretur. Non minori igitur iniuria IOSEPHVM ἀναλφάβητον in hebraicis dixeris, quam Paullo Apostolo, eiusdem disciplinae alumno, ignorantiam hebraismi obieceris.

Sed alia in promtu sunt, quae errorem illum arguant. Ipse IOSEPHVS *in Prooemio Libr. de Bello Iud.* affirmat, hos libros a se primum *hebraice* conscriptos fuisse: προὐθέμην ἐγὼ τῇ κατὰ τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν Ἑλλάδι γλώσσῃ μεταβαλὼν, ἃ τοῖς ἄνω βαρβάροις τῇ πατρίῳ συντάξας ἀνέπεμψα; vbi *barbaros* intelligit Iudaeos, ἄνω i. e. Orientem incolentes, vt Paullus *Rom. I, 13.* ἕλλησι opponit. Quid desideretur amplius ad vindicandam IOSEPHO hebraicae linguae cognitionem, equidem non video. Quod si quis plura in hanc rem argumenta requirit, adeat inprimis S. V. ERNESTI *Exercit. Flau. I. §. III. cet.* vbi plus satis refutauit opinionem eorum, qui IOSEPHVM putant graecam interpretationem semper consuluisse, non hebraicam

cum archetypum, demonstrauitque exemplis multis, iisque clarissimis, non posse IOSEPHVM graecam versionem omnino secutum esse, cum pluribus in locis consentiat manifeste cum hebraicis exemplis contra graeca; in iis vero, vbi cum graeca faciat, vel id temere ei accidisse, vel a Christianis doctoribus hebraica ignorantibus ad graecam versionem, quam solam sequerentur, esse correctum atque interpolatum; cuius corruptionis in IOSEPHO nimis manifesta sint indicia. *

Quod

* Egregium praeterea et ab hac parte IOSEPHVS nactus est defensorem V. Illustr. I. D. MICHAELIS *in Praef. ad Spicilegium Geogr. Hebr. post Bochartum p. 10. Turpissime falluntur*, inquit, *qui hebraicae linguae peritiam ab illo abiudicant. Grammaticarum legum imperitior, (fateor) quod nondum grammatica mortuae linguae inuenta esset, verborum significationes multo plures nouerat, quam illi ipsi, qui de eo iudices sedere audent. Verum saepe alia in suis legebat Codicibus hebraicis, quam nos in nostris, (quod si opus est sat magnis variarum lectionum ex eo excerptarum copiis confirmare possum) iam significationes verbis hebraicis subiiciebat, lexicis nostris ignotas, vsu tamen reliquarum linguarum orientalium confirmatas. Alterutrum vbi accidit, doctis istis viris, qui hebraica sua omnia in lexicis commentariisque habebant, de lectionis autem varietate nihil suspicabantur, valde indoctus visus est, aliquando*

Quod PHILONEM non minoris inſcitiae in hebraicis literis accuſatum videmus, id eandem cauſſam habet, quam in IOSEPHO; nempe, quoniam ſaepe alias verborum etymologias ſequitur, grammaticamque non habet ἀκρίβειαν, qualem nos deſideramus in eo, qui hebraicarum literarum ſcientiam profiteri velit; graecam denique Interpretum, etiam vbi ab hebraica veritate recedit, graece interpretatur, et ad allegorias flectit; quod quidem non inſcitia hebraici ſermonis, ſed conſulto fecit, qui Iudaeis Graecis ſcriberet, inprimisque imbutis aliqua doctrina graecarum literarum, quippe qui ſoli Iudaeorum poſſent eius orationis elegantiam capere. Sed et ad PHILONEM in vniuerſum excuſandum illa valebunt, quae bene monuit Ill. MICHAELIS l. c. hebraicam linguam illo tempore nondum fuiſſe more graeco ad grammaticas regulas accurate reuocatam, aut analogiam linguae per ſubtiles obſeruationes indagatam; neque adeo e talibus peccatis vniuer-

do etiam plane mentiri, hiſtoriamque ſine auctore confingere. In quo quidem Viro Eruditiſſimo aſſentimur omnino, gaudemusque vehementer fide facta, de exponendis copioſius alio loco virtutibus IOSEPHI, quamuis et in hoc ipſo opere diligenter IOSEPHVM illuſtratum et contra iniuriam recentiorum optime defenſum vidimus.

vniuerſae linguae ſcientiam idoneam detrahi vel IOSEPHO vel PHILONI poſſe ac debere. Quod ſi ad eiusmodi ſeueram normam de his voluerimus iudicare: ORIGENES quoque et HIERONYMVS hebraicarum literarum plane rudes eodem iure habendi ſint, qui et ipſi grammaticam ἀκρίβειαν ſaepe negligunt, ineptas effingunt etymologias, et graeca, vbi captandis allegoriis inſeruiunt, ſequuntur potius quam hebraica. Quid? noſtrorum quam multi ea conditione hebraismi ignari dicendi eſſent, qui πρὸς οἰκοδομὴν vernaculam potius verſionem ſequuntur, quam hebraicam veritatem; vel hebraica verba mire contorquent, vt ſenſum tandem eliciant eum, qui orationis ad populum argumento ſit accommodatus. Ceterum, vt largiar, inter Iudaeos Alexandrinos permultos fuiſſe, qui auitam linguam vel parum callerent, vel plane ignorarent: PHILONEM tamen inter eos nemo retulerit, qui, e ſacerdotali gente ortus, legis Iudaicae rerumque Iudaicarum ſtudioſiſſimus eſſet; quod nemini ignorare licet, qui vel partem aliquam librorum PHILONIS legerit.

Quae hactenus diſputata a nobis ſunt, eo pertinent, vt in PHILONE et IOSEPHO fuiſſe demonſtre-

ſtremus primam ac praecipuam virtutem, qua fides ſcriptorum recte aeſtimanda eſt, *vt idoneam facultatem haberent rituum ſacrorum cognoſcendorum, et neceſſario ſcirent, quae de iis traderent, e ſinceris omnia fontibus hebraicorum monumentorum, quos ipſos adeundi facultas eſſet, haurientes, et, quod maximum eſt, ad fidem illis faciendam, cultus publici αὐτόπται.*

Sed nec alterum bonae fidei κριτήριον, quod poſuimus, in vtrouis deſideraueris: *vt eo ſcilicet eſſent ingenio, eoque animo, vt, quicquid de cultus publici ratione recte cognoſſent, id bona fide tradere vellent, nullasque falſi, veri contra dicendi graues cauſſas haberent.* Magnum ſane vtriusque rei praeiudicium vel ex eo ceperis, quod erant homines et Iudaica et vero Graeca etiam eruditione exculti, qui per conſuetudinem cum optimis Graecorum ſcriptoribus non modo dicendi genus, ſed ingenium quoque ita ad eorum ſimilitudinem conformaſſent, vt in tractandis rebus exponendisque non poſſent non bene verſari. Quid vero non expectandum ab iis, qui per omnia ſcripta vere caſtum atque religioſum animum ſpirent: num illi, de rebus diuinis, cultuque veri Dei, ſcribentes incurioſe et mala fide egiſſe credendi ſunt? Nullo vero pacto. Qui aliter ſenſerit,

fidem-

fidemque iis temere denegarit, nae is eorum libros plane intactos reliquisse, et alienis potius, quam suis, oculis rem diiudicare merito censeatur!

Sed ipsum IOSEPHVM (cuius ratio inprimis habenda nobis est, cum de ritibus sacris plurima tradiderit) et huius rei habemus testem, quanta cum cura et religione in perscribenda gentis suae historia rerumque sacrarum historia versatus sit. Τῷ ἱστορίαν *ἀναγράφοντι τὸ μὲν ἀληθεύειν ἀναγκαῖον*, dicit ille *in Vita Sua n. 65.* eodemque loco recte reprehendit illorum leuitatem, *qui, cum historiam scribendam susceperint, de veritate parum admodum solliciti ex odio gratiaue falsi aliquid dicere non vereantur.* Qui aliis scriptoribus veri studium tam grauiter commendet, ipsum hoc neglexisse putabimus? Iam supra e Prooemio Ant. Iud. testimonium eius attulimus, quo fontes historiae suae ingenue indicaret, ex iisque solis sua hausisse, sanctissime confirmaret. Idem factum *Ant. X, 10. 6.* quem locum inprimis commemoratione dignum putamus. *Ἐγκαλέσει δέ μοι μηδεὶς οὕτως ἕκαστα τούτων ἀπαγγέλλοντι διὰ τῆς γραφῆς, ὡς ἐν τοῖς ἀρχαίοις εὑρίσκω βιβλίοις· καὶ γὰρ εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τῆς ἱστορίας πρὸς τοὺς ἐπιζητήσοντας τί τῶν πραγμάτων ἢ μεμψομένους*

ἠσφα-

ἠσφαλισάμην, μόνον δὲ μεταφράζειν τὰς Ἑβραίων βίβλους εἰπὼν εἰς τὴν Ἑλλανίδα γλῶτταν, καὶ ταῦτα δηλώσειν, μήτε προστιθεὶς τι τοῖς πράγμασι αὐτὸς ἴδιον, μήτ' ἀφαιρεῖν ὑπεσχημένος. Quis non religioſum hiſtoricum habeat, *qui monumentis literarum, e quibus hauriat, nec demere, nec addere quicquam de ſuo audeat.* Quin tributam hanc bono IOSEPHO laudem videmus a viris doctiſſimis, qui eius virtutes crebra lectione perſpectas haberent. Ἄξιος πιστεύεσθαι laudatur EVSEBIO *Hiſt. Eccleſ. III, 9.* Φιλαλήθης ἀνὴρ ISIDORO PELVSIOTAE *Ep. III, 19. IV, 75.* THEOPHYLACTO *ad Matth. XXII, 7.* et SVIDAE. E recentioribus egregius IOSEPHI defenſor extitit inprimis magnus IOS. SCALIGER, eum vocans *diligentiſſimum et* φιλαληθέστατον *omnium ſcriptorum, cui non ſolum in rebus Iudaicis, ſed etiam in externis tutius credatur, quam omnibus Graecis et Latinis, Praef. ad Opus de Emend. Temp.* in quo ipſo quidem libro et *Notis ad Euſebii Chronicon* multa abſterſit a IOSEPHO crimina, quae ab imperitis illi eſſent impacta. Non minori fortuna vindicem eius egit contra Baronium CASAVBONVS *in Exercitationibus*, et PAGIVS *in Critica ad Annales Baronii*, vt illos taceam, qui in IOSEPHI libros commentati ſunt.

Neque vero quisquam eorum, qui iusta laude IOSEPHVM mactent, eumque φιλαληθέςατον praedicent, errores et vitia eius dissimulasse reperitur; immo ingenue fatentur omnes, aliquid humani interdum passum, quod a CASAVBONO *Exercitat. XII.* * a FABRICIO *in Biblioth. Graeca*, ITTIGIO *in Praefat. edit. Iosephi Lips.* PETRO BRINCHIO *in Examine Chronologiae et Historiae Iosephi*, ad calcem edit. Hauercamp. aliisque factum est. Sed de his ipsis vitiis caute et modeste iudicandum arbitramur, quod

* Cum *historicum nobilissimum* laudasset CASAVBONVS l. c. *quicquid ingrati Iosephomastiges muginentur;* ita pergit ille: *Si omnes Iosephi errores, hallucinationes, aut ablepsiae (de iis non loquor, in quibus discedit Iosephus a Bibliis: in quo excusari non potest) in vnam summam contrahantur, vix centesima pars ea fuerit culparum ab vno Eusebio admissarum, siue in Chronicis, siue in aliis scriptis. Cur igitur tanta cura et tanta cum iniquitate Iosepho insultabimus? cuius libros nisi prouidentia Dei singularis ad nostra seruasset tempora, in quantis rerum Iudaicarum tenebris versaremur? quot fabulas, quot mendacia iubar historiae Iosephi discutit? At errat Iosephus interdum manifesto. Sane: homo enim erat. Potuitne Baronius obliuisci, omnes homines errare, omnes venia opus habere? Quis autem magis ipso? cuius Annales tot futiles fabulas, tot foeda mendacia, tot omnis generis errores continent cet.*

quod plerique minus fecere, quam debebant. Nam si quaedam historiae sacrae, antiquioris inprimis aetatis, admiscuit, quae in libris sacris haud reperirentur, neque per se probari possent; non ideo illa conficta ab eo sunt de industria et malo animo, vti criminantur eius aduersarii, sed hausta e monumentis scriptis, sine iusto fortasse in omnibus delectu: alia paullulum immutata, non peruersa aut detorta, ad ingenium Graecorum, in quorum gratiam animum ad scribendum appulisset; in iis maxime rebus, quae ad paganorum sacra opinionesque traductae, et rationem in Iudaicis et similitudinem in Graecis haberent; vt de igne caelesti et αὐτομάτῳ, quo victimae incenderentur cet. alia omissa, quae offendere possent paganos, neque illud malo consilio, sed quo magis per hanc artem veram religionem reliquis gentibus commendaret. Haud pauca denique ipsi exprobrata vitia, in Chronologicis maxime, reperias, quae non a IOSEPHO vere profecta, sed intrusa a doctoribus veteris ecclesiae et correcta sint ad graecam versionem; cuius correctionis et interpolationis exempla dedit clarissima S. V. ERNESTI *l. l.* et plura se daturum pollicitus est in aliis ad IOSEPHVM commentationibus, quas, optandum est, vt in magnum rei sacrae commo-

dum aliquando edat. In eandem ſententiam IOSEPHI cauſſam optime tuetur V. Cel. I. M. SCHROEKHIVS in egregio libro *Chriſtl. Kirchen-Geſchichte T. II. p. 255.*

Ceterum et ex hac parte ſaepe iniuria fieri mihi videtur IOSEPHO, quod, quae ſacris narrationibus *praeter* libros diuinos interdum adiungit, (quae *contra* libros illos habet, per ſe concidunt) hoc ipſo nomine omnino repudientur a quibusdam, quia in ſacris literis nulla eorum iniiciatur mentio, cum tamen nihil abſurdi habeant, et commodam interpretationem admittant. Nos vero ſatis credibile ducimus, quasdam eiusmodi narrationes ex iisdem libris antiquis depromtas eſſe, e quibus Apoſtoli ſua de Ianne et Iambre, de cadauere Moſis rel. hauſerint. Bileamum et PHILO et IOSEPHVS tradit conſilium dediſſe Balacko corrumpendi Iſraelitas per feminas Moabiticas, quod a Ionathane Paraphraſte pariter additum eſt textui ſacro; IOSEPHVS item per angelorum miniſterium datam legem: vtrumque, opinor, malae fidei arguerent multi, niſi haec ipſa virorum θεοπνεύςων teſtimonio in N. T. confirmata haberemus; de Bileami quidem conſilio *Apoc. II, 14.* de angelorum miniſterio

rio in ferenda lege *Act. VII, 53. Gal. III, 19. Ebr. II, 2.* * Quae quidem admonere quemque debent,

K 3 vt

* De ministerio angelorum in lata lege video etiam viros doctissimos et librorum sacrorum loca, et IOSEPHI locum *Ant. XV.* 5. 3. in alienum sensum detorquere, non aliam, puto, ob caussam, quam quod non clare satis intelligerent, quomodo hoc factum sit. De modo autem non quaerendum, si de facti veritate e locis luculentis, quales hi sunt, constiterit. Ἀγγέλους Stephano et Paullo dici putant prophetas, qui etiam angelorum nomine in S. S. interdum insigniantur. Sed de lege in monte Sina promulgata in allatis locis sermonem esse, nimis manifestum est; neque vox ἄγγελος nude posita, sine vllo adiuncto, aliud significare potest, nisi genium caelestem. Ex eadem ratione I *Cor*, *XI*, 10. I *Tim*. *III*, 16. non nisi de angelis caelestibus intelligi debet. Qui εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, *inter ordines angelorum* explicant, (εἰς pro ἐν positum est, vt alibi sexcenties) non aduertunt veram et vnam significationem τοῦ διατάσσειν, quae est *promulgare*, vbi de lege ponitur, repetitamque clariorem explicationem Apostoli διαταγεὶς δι' ἀγγέλων, λαληθεὶς δι' ἀγγέλων, quod sane ministerium angelorum in promulgata lege luculenter satis indicat. Quod aliis in locis Deus dicitur edixisse legem, non vere repugnare, quilibet videt, neque excusatione indiget. Eandem vim expertus est locus IOSEPHI, in quo δι' ἀγγέλων legem datam non de Sinaitica, sed de aliis praeceptis institutisque diuinis, ἀγγέλους autem de prophetis itidem,

vt cautius et de aliis eiusmodi additamentis iudicet, neque ea damnet promiscue, aut de industria mendaces PHILONEM et IOSEPHVM propterea clamitet, quod non vsquequaque iis conueniat cum libris diuinis.

Sed iam e deuerticulo in viam redeundum. Cum enim mei non sit instituti, vindicem agere PHILONIS et IOSEPHI, in tota rerum sacrarum historia tradenda; integrum cuilibet iudicium huiusce partis relinquam: id teneo, quod ad caussam meam pertinet, bona haud dubie fide vtrumque egisse in describendis ritibus cultus publici, quibus celebrandis et ipsi saepe interfuissent, meritoque religiosum illis animum, quam aliunde prodant, et in eo tribuendum esse, vt, quae ipsi viderint, et satis cognita habuerint, accurate ad posteros tradidisse credantur. Hactenus quidem certam eorum fidem atque inconcussam stare, serio defendo, neque in eo pertinacius repugnaturum quemquam rerum talium intelligentem confido. Ac nescio, an qui ita cupide IOSEPHO et PHILONI fidem detra-

tra-

dem, aliisque doctoribus, intelligi volunt; quod contextus nullo modo patitur, neque est probabile.

trahunt, eoque etiam, quae in ſacris literis leguntur, corrupiſſe defendunt, ſibi repugnent ipſi alia in cauſſa grauiſſima, hoc eſt, in integritatis librorum ſacrorum defenſione, in qua maxime ſolent niti fide et reuerentia Iudaeorum aduerſus ſcripturam ſacram. Nam ea ratio labefectetur neceſſe eſt et corruat, ſi tam illuſtria exempla perfidiae Iudaicae in tantis viris, e ſacerdotali etiam genere natis, ei opponi poſſint.

Ex his autem facillimum erit iudicare, quale momentum faciat fides Iudaeorum recentioris aetatis, ſi cum PHILONE et IOSEPHO comparentur; neque aliud colligi poteſt, quam quod volumus: vnum PHILONIS vel IOSEPHI teſtimonium ſexcentis Rabbinorum ſequioris aetatis eſſe longe anteponendum. Nam ſi ad fidem hiſtoricam probandam requiritur, primum, vt verum neceſſario ſcire te, conſtet, e ſinceris ſcilicet fontibus, certisque ſatis monumentis hauſtum: id quomodo ad Rabbinos poſſit conferri, equidem non video, vt qui vel hanc ob cauſſam primas concedere debent PHILONI vel IOSEPHO, quod ſint longe antiquiores, et multarum rerum, quas tradunt, αὐτόπται, cuius generis ſcriptoribus, niſi diligentia bonusque animus

defuerit, summa fides recte tribui solet. Enimuero qui testimonium Rabbinorum in quolibet ritu cultus Leuitici pluris faciunt, quam PHILONIS et IOSEPHI, aeque turpiter se dant, et ridiculi sunt, ac si quis in Romanae reip. historia et antiquitatibus maiorem fidem habeat v. c. Onuphrio Panuinio, Sigonio, Rosino, Nieuporto et similibus, quam Liuio, Dionysio Halicarnassensi, Dioni Cassio, ceterisque auctoribus grauissimis: vel, si quis post quindecim saecula aedis nostrae Thomanae rationem, et sacrorum in ea formam, e scriptore saeculorum consequentium potius voluerit cognoscere, aut tutius cognosci posse statuerit, quam e testimonio alicuius Antistitis sacrorum in illa aede.

Communem atque vnum fere fontem Rabbinicae sapientiae esse Talmudem, omnes norunt. Idoneum vero monumentum ad fidem historicam! Mischna I. nihil aliud est, quam farrago opinionum et scitorum de rebus sacris, quorum auctores CXXX. numerantur; aucta deinde innumeris commentis in vasto Gemarae commentario. Ipsi Iudaei hanc *legem oralem* dicunt, a viris diuinis ore ad posteros traditam: quae si vera vel maxime eius sit origo, quod concedere nullo modo possumus; per istam

tamen

tamen propagationem ore factam immixta est atque intexta tot sententiis absurdis et fabulis anilibus, nullum vt sit veri κριτήριον, nisi in iis, quae cum libris sacris accurate conueniant; quae sunt sane perpauca. II. Inter ipsas magistrorum de rebus ritibusque sacris sententias magnus est dissensus; alter repugnat alteri, et in alia omnia discedit, tantaeque hic feruent lites et controuersiae, quae nullo modo in concordiam possint redigi. Quomodo igitur hoc opus pro fonte historiae sacrae probabili possit haberi, ad Calendas Graecas docebitur. III. Accedit, quod non ipsi modo auctores Talmudici dissentiunt, sed etiam inter Iudaeos reliquos ad hunc vsque diem vehementer magnoque animorum motu de eo concertatur: vtrum sit Talmudi fides habenda, nec ne? et adhuc sub iudice lis est. Ortae hinc, quod notissimum est, sectae Rabbanitarum et Karraeorum, quorum illi Kabbalam, i. e. traditionem, amplecterentur, hi legi scriptae vnice adhaerendum putarent; in quo recte eos iudicare, non dubium esse cuiquam potest: atqui etiam plus sapere reliquis Iudaeis Karraeos semper statuerunt, qui e nostris plus aliis saperent. Ipse MAIMONIDES, Rabbanitarum princeps, conqueritur *in Comment. ad Tract. Aboth. c. I.* in eo con-

 sen-

ſenſiſſe Sadducaeos et Baithoſaees, quos Karraei fuerint ſubſecuti, vt dicerent: *recipio legem, repudio Kabbalam, quia non eſt vera:* exſecrandam vero hanc ſectam haereticorum ridicule criminatur. Conſulendus omnino IAC. TRIGLANDIVS, qui de ſecta Karraeorum optime ſcripſit, *in Syntag. de tribus Iud. ſectis,* recenſuitque eorum argumenta, quibus Talmudis auctoritatem vendidatam euertant: aduerſari ſcilicet eum libris ſacris; ſecum ipſum pugnare; abſurda et impia tradere. Cf. EISENMENGERI *Entdektes Iudenthum I, 8.* Quae ſi recte ſeſe habent Karraeorum contra Talmudem dicta, quod negare vtique e noſtris nemo audeat; efficitur, vt pro puro ille fonte antiquitatum ſacrarum haberi nullo modo poſſit.

Sed tanto magis demiranda eſt Chriſtianorum permultorum leuitas, qui MAIMONIDI, epitomatori Talmudis, tantam auctoritatem concedunt, vt eius ſcita oraculorum fere loco amplectantur: vnde in plerisque antiquitatum S. commentariis primo loco poſitum videas, tanquam optimum auctorem, cui fides in hoc genere denegari nullo modo poſſit. Taedet recenſere elogia a noſtris vbiuis in MAIMONIDEM cumulata, quorum ſane auctores pudeat.

Hunc

Hunc P. CVNAEVS *de Rep. Hebr. I, 2.* primum Iudaeorum vidisse, ait, quid esset, non delirare; nec de eo tam magnifice dici quicquam posse, quin id virtus eius exsuperet. Fuit is, quod non negamus, Iudaeorum doctissimus, ex Aristotele et Platone, quorum versiones Arabicae tum extabant, inter suos philosophus; sed qui Rabbaniticae sectae addictus, totus penderet a Talmude, cuius compendium in scriptis eius extare, omnes largiuntur, ab ipsoque diserte affirmatur in Epistola Apologetica, quae est in BVXTORFII *Institut. Epistolari Hebraica p. 382.* Quo loco respondet popularibus sibi nouandi studium laesamque auctoritatem Talmudis exprobrantibus, contenditque, se omnia religiose ex isto thesauro antiquitatis, quamuis non semper indicato loco, hausisse. Non defuerunt tamen inter nostros, qui post MORINVM, VOSSIVM, R. SIMONIVM, et in MAIMONIDE nugas et deliria multa notarent; nominatim Cel. CHRIST. SCHOETTGENIVS, *Hor. Hebr. et Talmud. T. I. Praef.* §. 8. inprimis *T. II. p. 809. Christianis*, inquit, *Philologis illud vix condonari potest*, *qui ex illis*, MAIMONIDE sc. et aliis recentioribus Iudaeis, *antiquitates Hebr. discere, et alios docere voluerint. Scriptores enim non satis antiqui sunt, et ab antiquioribus in multis abeunt. Immo*

ne

ne ipsis quidem propositum fuit, antiquos ritus docere; sed tantum suos informare, quid in variis rituum generibus sequi debeant. Igitur lectio illorum ad antiquitatem cognoscendam non solum inutilis sed etiam noxia est. Et tamen viri docti secure illos in consilium adhibuerunt, et nullum fere est Antiquitatum Hebraicarum volumen, quod non horum traditionibus contaminatum sit. Immo pleraque Maimonidae in latinum sermonem conuersa et commentariis illustrata sunt, vt iuuenes sic mature a via veritatis abducti fuerint, cet.

Alterum superest, vt recentiores Iudaeorum magistri cum PHILONE et IOSEPHO hac ex parte conferantur; num in iis idem fuerit veri studium, idem ingenium, idem rerum seligendarum iudicium, eadem tractandarum diligentia? In quo quidem toto coelo differre ab vtroque, non multa eget demonstratione. Etenim cum IOSEPHVS inprimis, professione historicus, consuetudine optimorum Graeciae scriptorum probe excultus, Iudaicis moribus fere exutis ad illorum venustatem ingenium suum scribendique solertiam conformarit: hi contra ab omni ingenii cultu alieni reperiuntur, procliuesque adeo ad quaeuis fingenda et credenda. Quis vero non nouit ingenium Rabbinicum, quarumuis

nuga-

nugarum anilium fundum fertilissimum? vt recte *fabulae Iudaicae* in prouerbium abierint, a quibus ne doctissimus quidem eorum, MAIMONIDES, sibi temperauit. Neque vero eorum haec est criminatio, qui scripta Rabbinica non intelligunt, et vero intelligere non cupiunt; (etsi legi vel sic possunt a quolibet in tot excerptis et versionibus, etiam vernaculis) illi ipsi testes huius rei ingenui sunt, qui per multos annos versarunt libros Iudaeorum, atque in hoc genere doctrinae excellere recte putantur. *A Rabbinorum lectione*, inquit BERNARDVS ad IOSEPHVM, *ardua res est et rara, non delirare.* De fide sublesta Rabbinorum si quis velit scriptores nosse et consulere, adeat inprimis I. C. WOLFIVM *in Bibl. Hebr. T. II. p. 1095.* I. A. FABRICIVM *in Bibliogr. Antiquar. p. 7.* I. F. BVDDEVM *in Isagoge Hist. Theol. p. 1457.*

Quod vt planius intelligatur, quantum praestet PHILONIS et IOSEPHI auctoritas omnibus recentiorum Iudaeorum effatis: age, exemplis aliquot ex antiquitate sacra petitis rem totam illustremus. De arca foederis et die solemni expiationis cum in hoc libello nobis sermo fuerit; hoc primum exemplum ponemus. Arcae totius rationem si quis ve-

lit

lit cognoſcere ex iis, quae BVXTORFIVS in vaſto libro *Hiſt. Arcae Foederis* compilauit, ita mira audiet, vt tandem, quid ſequendum ſit, neſciat: ita falſis vera, ineptiſſimisque fabulis, ſunt mixta. E ligno Sittim fabricatam fuiſſe ſacrae literae tradunt, quod plerique pro ligno cedrino optimi generis habuere, ſed eſſe potius ex arbore, quae ſpina nigra ſ. Arabica, atque etiam acacia dicitur, in deſerto Arabiae copioſa, docuit ex Hieronymo Cel. SEBALDVS RAVIVS, IO. EBERHARDI Filius, Profeſſor Vltraiectinus, in eleganti Diſſertatione *de iis, quae ex Arabia in vſum tabernaculi fuerunt petita.* * IOSEPHVS *Ant. III, 6. 5.* vocat ξύλα ἰσχυρὰ τὴν φύσιν, καὶ σῆψιν ȣ̓ παθεῖν δυνάμενα, quae eſt acaciarum iſtarum natura. Οἱ ό paſſim per ξύλα ἄσηπτα vertunt. Arcam porro περικεκαλυμμένην πάντοτε χρυσίῳ dicit Paullus *Ebr. IX, 3.* idque iubente Deo *Exod. XXV, 10.* quod et ipſum egregie confirmat et explicat PHILO *de Vita Moſis III. p. 668.* κεχρυσωμένην πολυτελῶς ἔνδοθεν καὶ ἔξωθεν, perhibens; vnde, quid ſit πάντοθεν Apoſtolo, plane intelligas: *vndique*

* Recudendam curauit hanc diſſertationem Cel. I. M. SCHROECKHIVS Lipſ. 1755. cum praefatione erudita, *de veris rationibus ſtudii linguarum Orientalium.*

que ſc. *intus et extra obducta laminis aureis.* Conſentit IOSEPHVS *Ant. III, 6. 5.* Quid Talmudici? *In Cod. Ioma* tradunt, Bezalaelem ita feciſſe arcam, vt quaſi tres eſſent arcae, duae aureae, et vna lignea, quae aureis fuerit inſerta et incluſa. Quod ſi vero etiam laminae aureae ab vtraque arcae parte ſeparatim fabricatae fuerint a Bezalaele, de quo aliunde non conſtat; non tamen tres arcae dici poſſint, ſed vna. *Vectes* arcae in longum latumne poſiti fuerint, libri ſacri non commemorant, IOSEPHVS autem *l. l. ex vtroque latere longiore prominuiſſe* perhibet. Opponit RELANDVS et cum eo DEYLINGIVS ὁ πάνυ, *Obſ. Sacr. T. II. p. 572.* Talmudiſtarum teſtimonium, quod illis in hac re potius eſt, propterea quidem, quia a quatuor viris commode non potuiſſet portari arca, cum iis non niſi ſpatium vnius et cum dimidio cubiti, quae latitudo erat arcae, ſuppeteret. Ex qua difficultate recte ſe ita expedit C. G. CARPZOVIVS, vt, baiulos non intra, ſed extra vectes humeros ſubmiſiſſe, dicat *in Appar. Ant. S. Cod. p. 261.* omninoque IOSEPHVS potius audiendus eſt. Vere ridiculum hic notat CARPZOVIVS commentum MAIMONIDIS, qui baiulos arcam faciebus introrſum, verſus arcam, et tergo extrorſum, tuliſſe nugatur. Duo

ergo

ergo baiuli cancrorum more incesserunt. Dignam sane spectaculo pompam!

Non minus inepte duas arcas Talmudistae comminiscuntur, alteram, quae tabulas integras complexa in adyto maneret, alteram, quae fragmenta tabularum habens ad bellicas expeditiones exportaretur; de quo vid. BVXTORFIVS *Hist. Arcae F.* in hoc ipso nugax ingenium Rabbinorum reprehendens.

Cherubos super arca dicunt sacrae literae expansis alis operculum texisse, alterius vultu in alterum verso et ad propitiatorium demisso, *Exod. XXV*, *20*. Nihil praeterea. IOSEPHVS vocat *ζῶα πετεινὰ Ant. III, 6. 5.* non vltra descripta corporis forma. At his non contenti Rabbini disputant de forma corporis; alii auium, plerique hominis habitum illis tribuunt; quibus et consentiunt nostrorum multi, quia angelorum symbolum esse deberent. Quasi vero angeli non nisi humanam formam possint induere. Neque hic desunt peiores ineptiae Rabbinorum. R. BECHAI et R. SALOMO alterum Cherubum masculinam, alterum femininam speciem habuisse fingunt; nihil est videlicet

tam

tam absurdum, quo Rabbinorum fingendi libido, semel capto impetu non labatur.

De ritibus ad solemnem piaculi diem pertinentibus, ingressuque Pontificis in adytum, multa inprimis commentantur antiquitatum scriptores: at si percensueris, quae optimi quique de isto argumento dixerint, e quibus CARPZOVIVM *in Appar. Ant. S. Cod. p. 433.* et DEYLINGIVM *Obs. S. P. II. n. XIII.* laudasse suffecerit: pleraque e Rabbinis hausta reperias, qui in hac re tanquam fide dignissimi auctores audiuntur. Ex eorum, MAIMONIDAE inprimis, sententia Pontifex illo die quater ingressus est adytum: 1. vt inferret thuribulum; 2. sanguinem iuuenci pro delictis suis; 3. sanguinem hirci pro peccatis populi; 4. vt efferret thuribulum. GROTIVS eundem numerum seruat, mutata duntaxat ministerii ratione; de quo non aliis testibus illi constaret. Post primum egressum ex adyto Pontificem preces fudisse, perhibent Rabbini, quarum formulam ab ipsis effictam (veram enim esse quomodo credibile sit?) eodem consensu excipiunt nostri. Hic vero nec consulitur nec auditur PHILO, qui eundem ingressum Pontificis commemorat, *in Legat. ad Cai. p. 1035.* dicitque: *si Pon-*

 tifex

tifex duabus diebus, aut si illo die τρὶς καὶ τετράκις ingrediatur, illi esse moriendum. Quae verissima esse sententia videtur. MANGEVS, quod miror, in notis ad h. l. male carpit PHILONEM, inscitiaeque rituum Iudaicorum arguit, fieri non potuisse ratus, vt non saltem ter adytum Pontifex ingrederetur. Aliam rationem se expediendi habet S. V. I. B. CARPZOVIVS *in Exercit. S. in Ep. ad Hebr. ex Philone p. 402.* non haec verba Philonis esse notans, sed Herodis Agrippae e literis ad Caium datis, illum autem Agrippam non satis curiosum fuisse in cognoscendis ritibus: saluam interim rem esse hactenus, vt quater vna die ingressus reperiatur Pontifex. — Illud vero sumitur mera coniectura, neque est credibile, Agrippam, qui Hierosolymis regem ageret, et summam sacrorum potestatem haberet, ignorasse vel neglexisse ea, quae essent tum in vulgus nota; recentiores vero Rabbinos illo esse et diligentiores et sapientiores. Ex Leu. XVI. maior binario numerus effici non potest, totumque ministerium huius diei per duplicem ingressum Pontificis commode absolui poterat; vt 1. suffiret et aspergeret arcam sanguine iuuenci; tum vero 2. inferret sanguinem hirci.

Exem-

Exemplum aliud praebeat locus de Paſchatos ritibus, in quibus non minus pleroſque ſola auctoritate Rabbinorum ſtantes, perſpicuum eſt, hoc ipſo fruſtra in magnas difficultates implicari. Nam ſi in ſolo librorum ſacrorum et antiquiſſimorum monumentorum teſtimonio acquieuiſſent: multa et inani opera, quam ſcribendis tot chartis impenderunt, potuiſſent ſuperſedere. In quaeſtione: a quonam ſint mactati agni paſchales? cum conſulerent ſolos Rabbinos, a plerisque (quidam enim aliter tradunt) didicere, ſacerdotes ſemper mactaſſe eos in templo, quod pro veriſſimo habet cum GROTIO et aliis DEYLINGIVS *Obſ. S. P. I. n. LII.* qui quidem hac inprimis ratione in eam ſententiam adductus videtur, vt crederet, Chriſtum non verum et legitimum Paſcha cum Iudaeis comediſſe, ſed nouum Euangelicum in locum veteris ſurrogandum. Sacerdotes quidem mactaſſe agnos aliquo tempore dicuntur, *2 Chron. XXX, 26. XXXV, 11.* ſed id factum in inſtauratione ſacrorum, quia populus ritus neſciebat. Aucta vero prope in immenſum multitudine, plane fieri non potuit, vt ſacerdotes tot agnorum millia, intra tam breue tempus, quod eſſet deſtinatum lege diuina, ad aram ma-

 ctarent,

ctarent, ſanguine in ſcrobem circa aram fuſo, et homines inde domum deportatos agnos appararent ad edendum hora vndecima. Sub Nerone Ceſtius Procurator numerari iuſſit agnos paſchales, reperitque 2560500 auctore IOSEPHO *de Bello Iud. VI, 9. 3.* Quomodo tantae multitudini ſuffeciſſent ſacerdotes? At PHILO diſerte tradit *de Vita Moſis III, p. 686.* quemlibet patrem familias mactaſſe agnum; cui ſane fides eo tutius habeatur, quod, aliter fieri non potuiſſe, res ipſa loquitur. Conſentit optime, quod Chriſtus diſcipulis imperat: ἑτοιμάσατε τὸ πάσχα. Nam ἑτοιμάζειν h. l. idem eſt quod hebr. עשה in eiusmodi contextu, legiturque v. c. *Gen. XVIII, 7.* de vitulo, quem Abrahamus mactauit conuiuis. Error iſte prognatus ex alio, quod e preſſius intellecto verbo θυσίας, agnus paſchalis ſacrificii genus habebatur; vnde a ſacerdote mactandum fuiſſe cenſuerunt: quod eſt falſiſſimum. Θυσία enim eſt, quodcunque mactatur, et hebr. שחט quod alias voc. θύειν exprimitur, de Beli ſacerdotibus *1 Reg. XVIII, 40.* de Achabi poſteris *2 Reg. X, 7.* mactatis legitur: vnde et ſimpliciter apud Matthaeum et Marcum legitur: ὅτε ἔθυον τὸ πάσχα ſcil. Iudaei omnino. Etſi non repu-

gna-

gnarim, πάσχα et de tota coena paſchali dici, vtique *Luc. XXII, 13.* vbi *in coenaculo apparaſſe* leguntur.

Alia ſunt in promtu exempla eiusdem generis; ſed pro inſtituto haec ſufficiant, modus enim eſt imponendus opellae. Quod ſi haec, vt ſperamus, non fruſtra diſputata ſunt, argumentisque haud contemnendis euictum, auctoritatem PHILONIS et IOSEPHI in antiquitatibus ſacris longe potiorem eſſe toto Talmudiſtarum et reliquorum Rabbinorum grege: facile inde colligas, plerosque libros Chriſtianorum, qui vel ex inſtituto, vel obiter, rituum ſacrorum hiſtoriam tractant, magno laborare vitio, cum Rabbinorum effata in iis vtramque fere faciant paginam, PHILO autem et IOSEPHVS vel nunquam (nam nec huius generis auctores deſunt) vel perraro in cenſum veniant, nec niſi illis in locis, vbi opinionibus vndecunque arreptis inſeruiant. Quid in iſta inconſtantia, de qua in limine commentationis noſtrae diximus, certi et explorati eſſe poteſt in rebus iis, quarum fides non diſerto literarum ſacrarum teſtimonio nititur; cum, vti lubuerit, et antiqui et recentiores

Iudaeorum ſcriptores miſcentur, nec norma aliqua poſita eſt, ad quam fides eorum exigatur, vt ſcias, quid vnoquoque loco tuto ſequare, quid repudies? In eo vero maxime elaborandum eſſe, vt eiusmodi norma poneretur, bene intellexit Cel. SEBALDVS RAVIVS in erudita Diſſertatione *de eo, quod fidei merentur monumenta Iudaeorum ſacris in antiquitatibus et ſenſu earum myſtico*, primum edita *Traiecti ad Rh.* *1751.* nuper recuſa in OELRICHII V. C. *Collectione Opuſc. Hiſtorico-Philologico-Theologicorum T.* ·. *p.* *162. Bremae 1768.* in qua quidem diſſertatione hoc inprimis egit, vt, quomodo fides Iudaicorum ſcriptorum recte aeſtimanda ſit, regulis certis definiret. PHILONIS et IOSEPHI auctoritatem omnibus Rabbinis longe praeſtare, quamuis et ipſe nobiscum ponat V. Cl. Iudaeis tamen recentioribus plura tribuere videtur, quam debebat; de fide ſaltem eorum nimis ambigue pronuntiat. In Talmude quidem diſperſa eſſe, ait, genuina quaedam vetuſtatis λείψανα, in quibus fidem mereatur, donec libris diuinis, vel rectae rationi, reique naturae diſſona propinet; omninoque vbi res facti, non iuris, loquatur, conſentiantque plerique vel antiquiores, vel prudentiores, in eo eſſe tuto audien-

diendum. — Sed vel ſic nondum certum aliquod veri κριτήριον adeſt; quinam enim ſint illi antiquiores et prudentiores Talmudis auctores, vnde habeant ſua de rebus ſacris ſcita, quomodo diiudicabis? Enimuero et hi in rebus facti etiam inter ſe diſſentiunt quam ſaepiſſime. Contra cum concedat V. Doct. reperiri in Talmude multa Phariſaeorum ſcita, ſectae iſtius vitio nouiter procuſa, qui, vt ſuis traditionibus a vetuſtate auctoritatem conciliarent, easdem plus quam Baroniano artificio, inde a Moſe, per clariſſimos gentis ſuae doctores propagatas, ab iisque in Talmudem relatas, finxerint; per illud ipſum, in quo V. Cl. lubenter aſſentimur, ſuperiora concidunt, neque, quid tuto in iſtis doctorum placitis ſequare, quid ſecus, habeantne tradita de ritibus ſacris illos vere auctores, quos commemorant, intelligi facile poteſt. Recte decernit V. D. iudicio critico opus eſſe, quo verum a falſo, probabile ab improbabili, ſeiungatur; ad calcem etiam Diſſertationis ſubiicit canones, ad quos iudicium illud dirigatur. Sed hi ipſi canones (qui non nude, ſine exemplis idoneis, ponendi erant) maximam partem ambigui videntur, neque perſpicuas ſatis ſuppeditant notas, quibus

res

res verae agnoſcuntur et deprehenduntur; ſine quibus vel ſumma ſolertia critica nihil neque perſpicere, neque decernere poteſt. Omnino arbitramur, nondum eſſe hunc locum perpurgatum, et ſatis demonſtratum, quibus in rebus et quatenus iſtis magiſtris vti in antiquitate ſacra poſſimus. Sed de eo ex inſtituto diſceptare non eſt huius loci.

Vniuerſe quidem conſentientem habeo etiam Cel. CHRIST. SCHOETTGENIVM, hebr. literarum doctiſſimum, qui, cum ipſe diligenter tractaſſet Rabbinorum libros, eorumque ſapientiam penitus imbibiſſet, faſſus tandem eſt: *Talmudiſtas in antiquitatibus ſacris nullam, vel poſtremam ſaltem, auctoritatem habere.* Sed haec vltima prouincia, qualis eſſet, dicendum erat, eaque ſuis finibus circumſcribenda. *Fruſtra hic*, inquit, *antiquitatem quaeras, cum videas Talmudiſtas adhuc diſceptare, quid ſequendum ſit. Quid ad nos deciſiones Rabbanitarum, cum quaerimus, quid apud antiquos receptum fuerit? Hic quaerimus, quid factum et geſtum ſit, non quid homines otioſi ſectandum exiſtiment.* Poſt ſacras literas et Targumim inprimis conſu-

consulendos esse, iudicat, scriptores ante Talmudem, (inter quos tamen etiam librum Sohar male refert) hos euoluendos, in his acquiescendum. Ergo bonum et probabile satis systema antiquitatum sacrarum in *desideratis* adhuc ponit, *Hor. Hebr. et Talm. T. II. p. 817. 818.* * Sed ad eiusmodi corpus concinnandum cum crebra opus sit lectione PHILONIS et IOSEPHI, per quam diligenter omnia notentur, quae ad illustrandam rerum sacrarum historiam pertineant: videndum esse arbitror, vt iuuenes sacris literis dediti mature istos scriptores nosse et adamare discant, quantumque eorum lectio futuro Theologo profutura sit, accurate intelligant. Ad quam commendationem sane non sufficiunt laudes inanes et encomia vtriusque auctoris; sed in rem praesentem deducendi iuuenes, propinandaeque illis deliciae, quas ipsi degustent.

Non

* Quamuis ea recte sese habeant, ipsum tamen bonum SCHOETTGENIVM non ab omnibus vitiis ex assidua lectione Rabbinorum contractis liberum dicam; quod e multis Horarum Hebr. et Talm. locis perspicuum satis est.

Non igitur possum hoc tam opportuno loco reticere, quod dudum animo haesit: vt vehementer hic publice optem, in scholis PHILONEM, et IOSEPHVM inprimis, eodem cum ceteris auctoribus Graecis numero haberi, eodemque studio adolescentibus commendari. Etenim cum illi, quod omnes fatentur, elegantiam graecam ita assecuti sint, vt plerosque scriptores meliores aequent, IOSEPHVS autem iucunde et leniter fluente facilitate etiam superet; eo iam nomine frugifera satis eorum erit lectio. Sed multo latius patet eorum vsus, et ad cognoscendam rerum sacrarum historiam, quae omnibus aliis potior esse debet Christiano homini; et ad interpretandos scriptores diuinos vtriusque Testamenti, verumque hebraismum intelligendum, quod ea, quae in S. S. hebraico sermone traduntur, pure graeco explicant, in quo interpretando nulla ambiguitas locum habet. Ad Noui quidem Testamenti interpretationem quantum prodesset lectio PHILONIS et IOSEPHI, demonstratum est egregie a Celeb. IO. TOB. KREBSIO, *in Obseruationibus ad N. T. e Fl. Iosepho;* S. V. I. B. CARPZOVIO *in Exercitationibus in Epist. ad Hebraeos e Philone;*

et

et CHRIST. FRID. LOESNERO V. C. *in Specimine Lectionum Philonianorum Lipſ. 1758.* quorum commentationes vt ab eruditis magno pretio habentur, ita plura eiusmodi ex vtroque fonte bona, inde facile haurienda, eodem plauſu ab omnibus rei intelligentibus excipientur. Si quis vero ſuppetere negarit eiusmodi editiones PHILONIS et IOSEPHI, quae lectionibus ſcholaſticis aptae ſint, id incommodum non tantum eſt, quin illi non poſſit eadem medela afferri, qua adoleſcentibus aliorum ſcriptorum ſaltem ſpecimina in manus tradita ſunt. Edi poteſt Chreſtomathia, quae elegantiſſimas et commemoratione digniſſimas ῥήσεις e IOSEPHO inprimis contineat, quibus addi etiam poſſunt quidam libelli e PHILONE. Eiusmodi vero Chreſtomathia ſi a KREBSIIS, FISCHERIS, GEISLERIS, HENTSCHIIS, BAVERIS, GOTTLEBERIS, IRMISCHIIS, MVCKIIS, aliisque Viris graecarum et vero etiam hebraicarum literarum doctiſſimis, diligenter explicata fuerit iuuentuti ſcholaſticae: certiſſime euenturum ſperamus, vt pluribus, quam hucusque factum eſt, ad legendos optimos ſcriptores mature allectis, plura tandem ex iis ad interpretationem librorum ſacrorum Vete-

ris etiam Teſtamenti, conferantur: quod laudabile institutum ſi vel aliqua ex parte hac noſtra opella iuuerimus, aut certe commouerimus, vehementer gaudebimus.